
















XX
SPIN.



IO. FRANCISCI SPINAE PHILOSOPHI, ET MEDICI EX RIPATRANSONA.

DE MAXIMIS CONIVNCTIONIBVS SATVRNI, ET IOVIS Annorum *1603.*, & *1702.* cum alijs intermedijs, tam Maioribus, quam Minoribus, cum Absidum Planetarum, Oblquitatis Zodiaci, & eccentricitatis Solis mutationibus; atquè Luminarium Deliquijs.



LIBRI DVO.

In quorum Primo agitur de actione corporum Cælestium in inferiora, præcipue in corpus humanũ, & an in intellectum, & voluntatem

In Secundo verò de Magnis in terrarum Orbe mutationibus, bellis, fame, peste, Turcarum Imperij destructione, & forsan noui Sęculi principio, cum ipsorum particularibus temporibus.

Per Dogmata Philosophiæ Aristotelis, Platonis, Pythagoræ, Mathematicæ, Astronomiæ, Astrologiæ, Prospectiuæ, Cronologiæ, Medicinæ, Sacrarum Literarum, & Theologiæ.

Quibus annectitur Epistola de inuentione nouæ Medicinæ Cæleftis ad Perillustrem, & Admod. Reuer. D. Iacobum Antonium Medicen.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM PRINCIPEM

LVDOVICVM LVDOVISIVM

S.R.E. Cardinalem Camerarium, & Sanctissimi D. N. GREGORII XV. Nepotem, ac totius Ecclesiastici Status Præfectum &c..

MACERATAE, Apud Ioannem Baptistam Carbonum. 1621.


SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI
LVDOVICO CARDINALI
LVDOVISIO

S. R. E. Camerario, vniuersiq; Status Pontificii Generali Præfecto &c.

IOANNES FRANCISCVS SPINA F.



TE vel minimum abscessi, Cardinalis Illustrissime, postquam Bononia, quò tua me sexto ante anno allexerat humanitas, vt ibi mira sibi subditum foueret clementia, complecteretur animo, & secum pene perpetuo non inuitum, sed indignum traheret; sum digressus. Siquidem ad suprema tantummodo Cæli domicilia, quo mihi tuis virtutibus iter munieras gradum feci: ibiq; iucundissimè animo, menteq; diuersatus sum. Nec inde digredior hoc tempore, cum summam tibi gratulaturus dignitatem ad Vrbem aduocor, quin potius ipsum corpus, quod in RipaTransona sua detinebatur mole, & paulo post Neapolim deuehendum erat, animi celeritatem in Cælum emicantis, sublatum ex humo in sublime,

 blime,

blime, videtur sequi. Quid enim tui Patrui Pontificis Opt. Max. quid amplitudo tua distat à Cælo? Hoc sanè solum distare credendum est, quod vobis illud subijci, vos sibi præfici gloriatur. Quãobrem submissionis illius significationem hac lucubratione mea, in qua de Maximis Coniunctionibus Saturni, & Iouis dissero, qua soles benignitate suscipito. Nec mirum tibi videatur, si solemni cæterorũ in offerendis munusculis precationi parcam: sed æqui, bonique consulito, quod excidet ex ore meo. Pene meo iure gratiam postulo. Cælestis enim argumenti dignitas, quando tecum mihi sermo est, me reddit audacem. Nam probè memini cælestibus animi tui dotibus planè effectum esse, vt eam tibi quicũq; te prius nouerat, qua clares hoc tempore maiestatem augurarentur: Iisdem efficitur hoc tempore, vt te Resp. Christiana veneretur, ac colat: quisque sibi faciles aditus esse ad te existimet: tantæq; virtutis fructus perpetuos in Ecclesia Christi percupiens Sanctissimo Patruo tuo, tibiq; longissimam, fortunatissimamq; vitam exoptet, & mecũ aduersa quælibet ab vtroq; deprecetur. Vale. Ex Ripa Transona 3. Kal. May 1621.

IN LIBRVM
SVBTILISS. ET EXCELLENTISS. PHILOSOPHI, ET MEDICI IO. FRANCISCI SPINÆ RIPANI.
De magna coniunctione Saturni cum Ioue.

GASPARIS MVRTVLÆ Iurisconsulti Genuensis.
ODE.


OSTERA quid referat, ventura quid aduehat ætas,
Fulgore vbiq; Siderum,
Tam bene Piçeni, ò lux inmortalior Orbis,
Decusq; magnum patriæ,
Felici calamo narras, & numine dextro
FRANCISCE nobis indicas,
Vt tanquam in speculo, viuaq; in imagine bella
Spectentur atra sanguine,
Et rixæ, & Cædes, & sœua tonitrua mortis,
Et regna, & Vrbes dirutæ,
Et diuisa scitum Imperia, prostrataq; terris
Lunæ superbæ cornua,
Sic dirum portendit atrox Saturnus, & ingens
Coniunctus illi Iuppiter,
Deliquia heu Solis fracta sic luce minantur,
Sic plurima mors illius;
Prospectusq; ferox Cæli, iurataq; nostris
Damnis superna lumina.
Heu miseram Italiam, dulcis quæ munere pacis
Potita diù, cędibus
Afflictata tuis auuerso numine diuum
Cruore, tandem viscera
Sparges infelix, nigrosq; in funera reges
Spectabis, & dira fame
Dentibus attritis, stomaco & latrante peribis,
Simulq; peste saucia

Innumera heu flebis proſtrata cadauera, Cælum
Auertat, ah Cælum precor
Hanc rerum faciem auertat, nec noſtra trahatur
Tot heu ruinis perdita
Italia in præceps, vento & reflante, procellas
Impellat has remotius
Gens vbi ſæua iacet nobis inimica ſub arcto
Gelu ſtupens, & frigore,
Aut vbi mille ſuas feruens habet Aphrica terras
Fixo calentes ſidere,
Nos iuuat hic pacis ſtudium, nos otia læta,
Nos & quies amabilis,
Et virtus ſimul innumeras laudata per artes,
Et fautor illi plurimus.
Dicere te talem ò ſpes Vrbis maxima, & Orbis
Talem vocare te decet.
Murice qui Sacro LVDOVISI tempora cingis,
Sanctaq; fulges purpura.
GREGORII tu digne Nepos, virtutibus illum
O quam ęmularis vndique,
Hunc pietas, hunc cana fides, probitaſq;, pudorq;,
Candorq; mentis integer,
Et labor, & ſtudium, & rerum prudentia maior
Euexit ad pulcherrimum
Hunc fortunæ apicem, & venerabile culmen honorum
Fecit in Vrbe Principem.
Te mores ſimiles decorant, tranquillaq; in ore
Fulget nitens ſerenitas,
Et ſocia Imperij maieſtas regia, vultus,
Splendorq; frontis nobilis,
Et lepor, & comi laudata modeſtia cultu,
Et forma feruens ingeni
Per te Roma nouas ſpes induit vndiq;, per te
Nouis ſuperbit artibus,
Et florent ſtudia, & ditantur honoribus illa,
Frontemq; Virtus erigit.
O viuas fœlix longa digniſsime vita
Inſignis altor artium,
Et quem purpureo radiantem Roma galero
Te nunc tuetur vndiq;
Tempora tergemina videat redimita tiara
Figatq; plantis oſcula.

IN

PERILLVSTRIS DOMINI DIONISII BONOMI PATRITII RIPANI.

DISTICHON.

CVM Ioue quid iunctus portendat falciger, astra
Quid faciant motu, & lumine; SPINA docet.

IN EVNDEM ODE.





INQVITE apricos Charites recessus,
Linquite & colles, nemorumq; curam,
Plectra tractantes recreate dulci
Pectora cantu.
En sacræ doctam sobolem Sorores,
Summus ex vestro bibit amne dotes
SPINA, nunc trinis celebratur omni
Dotibus Orbe.
Nam Poli Stellas numerat, vagamq;
Iudicat Lunam, celeremq; Solem,
Et globos Cæli recolens per artem
Sydera noscit.
Istius spargit medicina famam,
Quas sciens multos agitat per annos,
Et simul tollit super astra summum
Diua decorem.

Diua, quæ rerum memorare nouit
Orbitam, & Terras, fluitantis æstum
AEquoris, cum non patiens habenæ
Classica cantat.
Ergo collectos per aprica rura
Ferte Narcissos, Cypriamq; myrtum,
Et rosas nardo, violasq; molli
Iungite thyrso.
Hisq; gemmatis radiate sertis
Verticem vestræ sobolis sorores,
Vt nouos ipso capite, & capillis
Afflet odores.



IO. FRAN-

IO. FRANCISCI SPINAE

Philosophi, & Medici Ripani.

De Maximis Coniunctionibus Saturni, & Iouis Annorum 1603. & 1702.

LIBER PRIMVS.

Per Cælestia corpora venimus in cognitionem creatoris, & futuras Cæli Passiones certitudinaliter, sublunarium per coniecturam & fortuitos casualesq; effectus cognitione coniecturali, & non parum fallibili præcognoscimus.

CAP. I.



SI non adest difficultas quod philosophari oporteat, cum nobis mentem erectam, rationalemq; Deus impenderit, vt præ ceteris animalibus spectando Cœlum prudentiores euadamus, & suam veneremur maiestatem cum Cæli *Psal.* 10. enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, qua de causa Cælum, immortalis Dei exemplar, speculum, & æternitatis librum esse non dubitamus: vt ea, quæ à mente diuina, mundiq; regina præcognita sint, per organa cælestia, in eodem scripta, & signata omniquaq; micantia esse; cum par omnem terram exeant sonus, & apparentia eorum, vt omnes creaturæ Cęlum venerari, ac cognoscere possint, *Psal. ibidem*; cum elementa, ac etiam mista diuersis cælorum vertiginibus agitata sonos, & armonicos cantus seu ordines emittant, & omnia nos ducunt in creatoris cognitionem vt eiusdem Prophetæ extat sententia *Psal.* 10. quoniam video Cælos tuos opera digitorum tuorum Lunam, & Stellas, quę tu fundasti, quid est homo quod memor es eius aut filius hominum quoniam visitas eum *Psal.* 8. qua propter omnes creaturę per vniformes cęlestes motus primum motorē Deum cognoscere possunt, omnesq; expellendo idolatrias, sed semper agitata mente suam infinitam maiestatem intelligendo colant, ado-

rent, atque venerentur, quę sola veluti *Per Iob. 9.* colligitur precipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo, qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas &c. & hæc per astronomicas mensuras, ac numeros, & coniunctiones, atq; coniunctionum proportiones, & Stellarum *Syzyzias*, ex quibus omnibus de effectibus in terrenum globum transmissis nos ante aduentum ipsorum aliquam confusam habere posse scientiam probant Astrologi, & Theologi confirmant, at Cælorum passiones certitudinaliter.

*S*ed pro maiori huius rei elucidatione futura dupliciter præcognosci possunt, vno modo in suis causis, alio modo in se ipsis, si in se ipsis considerentur, ammittunt rationem futuritionis, & hoc pacto à quolibet tunc inspiciente, & consideratione illa possunt cognosci, vt videns Platonem currere enunciat ipsius cursum, & Lunam eclypsari dicit ipsius deliquium; in suis caussis vero rationem futuritionis habent, & de hac cognitione est modo sermo: quapropter, veluti inferius dicetur, caussas naturales omnium effectuum inferiorum, & sublunarium corpora cælestia esse, quorum motus, aspectus, virtutes &c. considerantur ab Astronomo; intendimus ob id inquirere vtrum Astrologus ex cognitione syderum possit prænunciare veritatem alicuius effectus ab ipsis quouis modo producendi sicut ex caussis pręcognoscuntur effectus. Ideo duce D. Thoma *sec. 2. quest. 95. art. primo* quo in loco talia leguntur: vnde non potest esse quod ex inspectione syderum accipiatur cognitio futurorum nisi sicut ex caussis præcognoscitur effectus: Ad hos autem effectus, vt dictum est, cum illæ virtutes cælestis corporis tripliciter se habeant, quia aliquos necessario, aliquos vt in pluribus, alios tandem contingenter, & variabiliter producunt; quapropter non vnica, sed multiplici conclusione erit respondendum.

Prima conclusio est, passiones corporum Cęlestium per certitudinem possunt à nobis pręcognosci, ac pręnunciari, & tali modo probatur.

Effectus, qui ex necessitate dependent à caussis, ex consideratione illarum per certitudinem pręnosci, ac pręnunciari possunt: sed passiones corporum cęlestium sunt tales, quod ex necessitate depēdent ab illis; ergo ex inspectione corporum cęlestium tales passiones possunt per certitudinem pręcognosci. maior est D. Thomę *loco citato* minor patet ex dictis.

Quæ conclusio manifestatur à Sancto Doctore *secundo sententiarum dist. 7. quest. 2, art. 2. in corpore* his verbis.

Futurorum quædam determinata sunt in suis caussis, quædam

vero

verò non habent caussas determinatas, sicut quę sunt ad vtrumlibet, quilibet autem effectus secũdum quod in caussa sua determinatur in ea potest cognosci; si .n. determinetur, in ea vt ex qua necessario contingat, certitudinaliter cognoscetur, sicut sunt ea, quę circa motum Cęli accidunt, vt ortus, & occasus, & eclypses, & coniunctiones luminarium: eandem conclusionem fatetur *2. 2. quest. 95 art. 1. & 5. in corpore*.

Secunda conclusio est passiones corporum inferiorum, quas physicas appellant, per quandam coniecturam pręcognoscimus; & probatur, effectus non ex necessitate, & semper, sed vt in pluribus, rarò tamen deficientes, non per certitudinem, sed per quandam coniecturam possunt ex inspectione causarum pręcognosci, D. Thomas 2. *2. quest. 95. art. 1. in corpore*: sed passiones physicę ex pręterminatis sunt huiusmodi, ergo &c.

Quapropter sanctissimus Doctor confirmat hanc conclusionem loco citato hisce verbis: sicut Astrologi per considerationem Stellarum quędam pręnoscere, & pręnunciare possunt de pluuijs, & siccitatibus &c. idem habet *art. 5. eiusdem quest. in calce corporis, & 2. sentent. distin. 7. quast. 2. art. 2. in corpore* habet hęc verba: si autem terminantur in causis vt ex quibus frequenter contingunt, cum potestate tamen deficiendi in minori parte propter impedimentum ex parte agentis, vel ex parte recipientis actionem, eorum pręcognitio non certitudinalis, sed coniecturalis haberi potest, & hoc modo Astrologus ex Ptholomęo etiam *lib. 2. quadr. tex. cõm.* 5. pręducit quędam futura, quę consequuntur ex motibus Cęli in istis inferioribus, quę tamen impediri possunt propter defectum inferiorum causarum &c. in eodem loco *ad suum argumentum* dicebat; ad quintum dicendum est, quod Astrologi non possunt pręnunciare euentus, nisi quia reducuntur ad motum Cęli, sicut ad causam vel per se vt transmutationes, quę accidunt in corporalibus, vt tempestates, & sterilitates, & pestilentias, & huiusmodi &c.

Tertia conclusio est, quod nos ex inspectione Syderum possumus pręcognoscere coniecturaliter tamen effectus fortuitos, & casuales naturales, quę quidem conclusio ita probari potest.

Effectus quilibet ex inspectione caussę suę naturalis pręcognoscitur; sed effectus fortuiti, & casuales, &si non secundum ambas partes simul, secundum tamen ambas partes seorsum à pluribus caussis cęlestibus dependent, ergo ex inspectione caussarum cęlestium pręcognosci possunt.

Qua propter huic determinationi non opponitur assertum D.

Thomæ 2. *sentent. distint. 7. quest. 2. art. 2. in corpore*, quo fatetur non posse Astrologos hæc entia fortuita, cum possint esse, & non esse, præscire, quia ibi sermo fit de illis vt formaliter fortuita sunt, hoc est de illorum accidentali connexione, & contingentia, ad quę de cognitione illorum certa, vel coniecturali cum minima fallibilitate, hic autem loquimur nos de ipsis vt materialiter considerantur secundum suas partes seorsum, atq; de defectibili cognitione ipsorum; cum enim, vt dictum est, illæ caussę vt modificatæ prius in his inferioribus tanquam in suis passiuis, vel instrumentis efficiant hęc entia, quorum defectibilitas ex materia censetur, ob id nos caussas cælestes inspicientes prædicimus tales effectus possibiliter euenire, defectibiliter tamen propter materiam modificantē actionem illarū.

Exemplificatur conclusio; pręuidet Astrologię peritus iuxta doctrinam secundę conclusionis causam lapidum ex terrę motu, quem ex Cœlo pręsentit; præuidet ex alia caussa cælesti immissionem fulgurum; quod verò hæc duo coniungantur ad inuicem, vel secundum tempus, vel secundum locum poterit prēscire ex inspectione concursus illarum caussarum, à quibus ambabus dependens est talis effectus, qui non vnus, sed multiplex est, cum in multiplicem virtutem caussatiuam, vti dictum est, reducatur, ità vt formale præuisum ab Astrophilo non est illa vnio, sed illud totum secundum suas partes seorsum tamen acceptas, vt possibiliter, & contingenter vnibiles sunt.

Sed oritur difficultas non parui quidem momenti, nam connexio hæc effectuum horum puta casus lapidis cum immissione fulguris ex concursu, & aspectu illorum Astrorum dependet, & caussatur; sed ille aspectus, & concursus Astrorum certitudinaliter præcognoscitur ab Astrologo iuxta doctrinam primæ conclusionis, ergo, & ista connexio contingens effectuum horum certitudinaliter præcognoscetur.

Respondendum est, quod hęc instantia presupponit vnum falsum quod .s. hęc accidentalis effectuum connexio, vel reducibilis sit ad virtutes Cælestes purè, cum nec immediate, vt dictum est, nec mediate re vera pure reducenda sit, sed tantum in ipsum aspectum Cælestium corporum, vt docet D. Thomas 3. *contra gentes cap. 86.*, & Ferrariensis *ibi*, diffusius verò Caietanus *prima par. quest. 115. art. 6.* modificatum, & receptum in inferioribus, & proximis corporibus secundum conditiones ipsorum est referibilis, quod si huic addamus, quod conditiones proprię corporum inferiorum sunt posse deficere ab esse tam substantiali, quam accidentali, & consequenter tam

ter tam a pati, quam ab agere varium, & mutabile semper habere esse, contrarium habere &c. quod est radix casus, & fortunæ, atq; omnis contingentiæ; videbimus quod huiusmodi entia contingentia non resoluuntur in actiones corporum cælestium pręcise, & purè; sed in actiones ipsorum modificatas in his inferioribus, ac per consequens non oportere esse tales, quales ex influxu Cœli recepto, & modificato in tali materia consequuntur.

Quapropter ad instantiam formaliter respondendo distinguimus connexionem illarum partium dependere ex aspectu corporum Cęlestium contingit dupliciter, vel ex ipso pure, ac præcise, & sic falsa est maior, & vera minor; vel ex illo modificato, & recepto in inferioribus iuxta conditiones inferiorum, & sic vera est maior, & falsa minor, cum hę conditiones, in quibus modificatur influxus superioris, radix sint contingentiæ casus, & fortunæ.

Ex dictis colligere possumus quod effectus à planetarum coniunctionibus caussatos precognoscere possumus per coniecturam, nempe bella, sterilitates, regnorum euersiones, morbos pestiferos, atq; benignos &c.

Sed contra asserta statim insurgit maior pars medicorum asserentium omnes effectus dependere ex quatuor elementis, non autem à Cœlo; & licet à Cœlo aliqui dependeant, ob distantiam à nobis debent derelinqui, ideò est deueniendum ad prima principia.

Vnius rei sunt plures caussæ; sed Cælum est omnium inferiorum caussa vniuersalis, ac prima. CAP. 2.

APVD Philosophos constat quamlibet rem per physicam transmutationem productam à pluribus genere diuersis caussis dependere, vt materiali, formali, efficiente, & finali; verum etiam a caussis, etsi eiusdem generis, vt puta effectricibus, & motricibus, ordinis verò diuersi produci, D. Thomas .n. 1. *parte quest. 52. art. 3. in corpore* dicens vnum esse proximum mouens, licet possint esse plures motores remoti, insinuauit vni rei duplex assignari mouens proximum scilicet, & remotum, quod & Aristoteles 2. *physicorum tex. 32., & 5. metaph. tex. 2 cap. de caussa* docuit, insinuauitq; motores remotos plures esse respectu eiusdem; quapropter Reuerendissimus Ferrariensis *in quest. de physic. auditu super 2. lib quest. 5* inquiebat, quod isti effectus inferiores reducũtur in quatuor caussas scilicet in caussam particularem, in Cœlum, in intelligentiam mouentem Cœlum, & primam caussam, quæ est Deus: Socrates igitur produci-

producitur à Platone, à Cęlo, ab intelligentijs mediante Cęlo, & Deo Diuersus igitur ordo in caussis eiusdem generis nascitur ex diuersa approximatione, & distantia illarum ad effectum producendum, vnde, & D. Thomas 5. *metaph. lect.* 2. inquiebat, harum vna est prima, & remota, alia secunda, & propinqua; idem habet Auerroes 3. *phys. comm.* 30., & Themistius *primo de anima text.* 23, & 3. *de anima text.* 25., quem secutus est Auicenna, docuit quod agens particulare non attingit essentiam formæ, per quam effectus habet esse, sed tamen disponit materiam, qua disposita forma ipsa producebatur à caussa vniuersali, hinc est quod etiam D. Thomas 1. *parte quest.* 115. *art.* 3. *ad* 2. docuit, quod caussa vniuersalis agit ad speciem, & virtute ipsius, hæc particularia agentia agunt ad illam generando indiuiduum.

Concurrunt ad eundem effectum producendum plures mouentes caussæ, etsi cum diuersa ordinis habitudine, essent aliter tamen ordinatæ, ita vt vna non possit sine alterius concursu, excepto Deo, agere, vt habetur ex Aristotele 2. *metaph. text.* 6., & D. Thoma *lect.* 3., in qualibet .n productione tria consideranda reperimus, vltimum quod dicimus caussatum; primum quod solũmodo caussans, & mediũ quod caussans virtute sibi influxa appellamus, qua propter si medium non potest in vltimum agere nisi prius respiciat influxum virtutis actiuæ à superiori, nec primum potest in vltimum nisi modificatum, & coactum in medio; motio .n. prioris caussę modificatur in caussa secunda secundum modum ipsius caussæ secundæ, & prius natura modificatur, quam medium impellat ad mouendum; Caietanus super 1. *parte quest.* 14. *art.* 13., & *quest.* 115. *art.* 6. cuius modificationis ratio ex eo censenda est, quod omne recipitur per modum non sui met, sed recipientis ipsius, vt docuit Aristoteles 2. *de anima text.* 66., & D. Thomas *lect.* 12., atq; 1. *par. quest.* 12. *art.* 4. *in corpore*; cum igitur virtus superioris agentis agat in vltimum, vt recepta in medio, ea propter erit ibi per modum medij; nequaquam primi actiua, quæ cum secundum se illimitata sit, quia superior, & vniuersalis plurimos potest etiam effectus producere, & indifferenter respicit omnes, quorum omnium rationes habet ex sua illimitatione D. Thomas 2. *phys. lect.* 6. vt igitur huius non autem alterius sit productiua in alio .s. medio, quod nisi vnius rationis effectum respicit, arctanda, limitanda, atq; modificanda erit; hoc itidem pacto inquit D. Thomas 1 *part. quest.* 4. *art.* 1. *ad tertium*, & 2. *de anima lect.* 11. *text.* 57. & 4. *Cæli text.* 35.

Verum sicut nec in finalibus, nec in formalibus, ac materialibus

causis

cauſſis procedere in infinitum poteſt, ita nec in mouentibus, ac efficientibus, omnes .n. mediæ cauſſæ ceſſent, docet Ariſtoteles 2. *metaphyſ. text. 6.*, & D. Thomas *lect.* 3. repugnat etenim infinito primũ, & vltimum ex Ariſtotele 3. *phyſ. tex. 30.*, 5. *phyſ. tex* 13, 8. *phyſ. tex.* 34., 2. *de generat. & cor. tex.* 68., *primo de genera. animal. cap.* 1., 12. *metaphyſ. tex.* 48., *& alibi*, quod ſi mediæ omnes eſſent, ergo omnis aboleretur cauſſalitas, quia ipſę non niſi per influxum à prima receptum habent cauſſalitatem *ex 7 phyſ. tex.* 4., *&* 8. *phyſ. tex.* 34. propterea ſubdit D. Thomas 3. *de anima lect.* 2. *text.* 136. impoſſibile eſt compleri actionem dependẽtem ab infinitis actionibus, neque etiam vnius rei poſſunt eſſe infinitæ potentiæ, deueniendum erit igitur ad vnam dumtaxat vniuerſalem, & primam cauſſam, à qua omnes aliæ dependent.

Hanc autem vniuerſalem, & primã omnium inferiorum cauſſam Cœlum ab intelligentia motum ex ordinatione diuina eſſe compertum eſt D. Thomas 3. *contra gent. cap.* 82. quandoquidem, & Ariſtoteles 8. *phyſic. text.* 34. cum probaſſet in mobilibus, & mouentibus in infinitum iri nõ poſſe, quod & 7. *phyſic. text.* 4. docuit determinauitq; ad vnum primum mouens ſe ipſum non ab alio motum eſſe ſtatuendum, & hoc vult primum Cœlum cum intelligentia motrice eſſe, quapropter 8. *phyſ. tex.* 60. *&* 61. & D. Thomas *lect.* 4. *in calce* habent, quod Cœlum mouens ſe ipſum ſecundum motum localem, & eſt principium aliorum mouentium, & mobilium, ac per conſequens primum inter omnia, quæ mouentur, & 2. *Cœli tex.* 20. Cœlum cum ſuo motu horum inferiorum cauſſam eſſe docebat; vnde, & D. Thomas 2. *phyſ. lect.* 6. *text.* 32 ibi habeat, Solem, ac Cœlum eſſe cauſſam primam, ac vniuerſalem calefactionis, ignem verò propriam; hinc etiam habuit Ariſtoteles 2. *phyſ. tex.* 26. hominem ab homine generari, ac Sole: quam propoſitionem declarauit D. Thomas 5. *metaph. lect.* 2. generatur ab homine, vt cauſſa propinqua, & poſteriori, à Sole verò vt remota, & priori; quapropter & Homerus in ſuis carminibus vocauit Solem patrẽ viuorum eo quod inquit D. Thomas 3. *de anima lect.* 4. eſt alia cauſſa generationis humanæ. Auerroes & ipſe 2. *de Cœlo comm.* 16. monuit Cęlum eſſe vniuerſale agens reſpectu horum inferiorum. Caietanus Illuſtriſs. 1. *par. quæſt.* 8. *art.* 1. cum Scoto concluſit Solem per lumen tantum quoad ſubſtantię organum agit, in hoc diſſentit Scotus eſſe cauſſam mineralium in viſceribus terræ.

Quinimo Ariſtoteles 8. *phyſ. à tex.* 29. *vſq; ad* 34. probat pluribus rationibus grauia, & leuia, ex quibus omnia elemenza conſtituuntur

untur inesse non à se ipsis moueri, ne dum de potentia essentiali ad actum primum, quo scilicet attingitur esse substantiale formæ, cum nulla res sibi met sit caussa essendi, quod, & Auerroes 8. *phys. text.* 32 confirmat, sed & postquam genita sunt non exiri ex potentia accidentali ad actum secundum, quo habent moueri localiter, cum & hoc, sicut & illum à generante scilicet Cœlo mendicent: impossibile est namq; à se ipsis ipsa moueri, nec valet dicere, hoc Aristotelis dictum concludere de motu, vt exitum dicit de potentia essentiali ad actum primum, hoc etenim commune est omnibus inferioribus: concludit namq; ibi Aristoteles præcipue de productione actus secundi, subdit namq; *est enim hoc officium vitæ, & animantium proprium*, si animantia, & ipsa traducuntur ad actum primum, & essentialem per Cœlum ratione allata, quia Sol, & homo generant hominem. & Auerroes 12. *metaphys. comm.* 18 habet Solē, & Stellas esse principium cuiuslibet viui in natura: hoc idem habet *primo de generat. animal. comm.* 2., *&* 2. *de generat. animal.* 3., *quarto Cœli* 32., *& cap.* 2. *de substan. orbis*; quomodo proprium illorum esset mouere se ad talem actum? sermo igitur intelligendus est de moueri ad actum secundum, quod animantibus concessum est per animam, quę principium actiuum dependens semper à corpore Cælesti, & in esse, & in moueri; ex quibus patet non solum elementa (vt quidam Medici dicunt) sunt caussa inferiorum, sed & corpora Cælestia, intelligentiæ, & per consequens Deus. An verò medici defendi possint videbimus

Defenditur opinio Medicorum, & probatur elementa vbiq; & in omnibus suo modo repereri. CAP. 3.

ALBERTVS Magnus *lib. de mirabilibus mundi cap.* 12. *&* 13. dicebat non esse credendum solis medicis, qui asserunt omnes effectus dependere à quatuor Elementis, neq; solis Astrologis dicentibus omnes effectus à Cœlo venire; sed aliqua ab elementis, alia vero ab ipsomet Cęlo absq; elementorum adminiculo procedere; vnde ex hoc, & supra enarratis capit. Medici defendi minimè possunt.

Attamen cum minus Medicus non sim, quam Mathematicus, Medicos defendere conabor, atq; probare non solum elementa reperiri post Cęlorum orbes, & in inferiori mundo, sed vbiq; suo tamen modo, hac de caussa sententiam explicabimus.

Elementa sunt quatuor ex Aristotele 2. *de generat. & corrupt. text.* 16. 17. 18. *& alibi*, & Galenus ex Hippocrate, *lib.* 1. *cap.* 3.

de elementis

de elementis. Ignis .ſ. Aer, Aqua, & Terra, ex quibus ſequũtur compoſita perfectorum quatuor genera, quę ſunt lapides, metalla, plantæ, & animalia, in quorum compoſitionem licet omnia conueniant elementa, ſingula tamen vnum præcipuum elementum ſequuntur, & imitantur: Nam lapides omnes terrei ſunt natura, ſiquidem graues, & deſcendunt, & ita ſiccitate concreti, vt liquefieri nequeant, ſed augentur; & licet grandeſcant, non tamen viuunt, quia crementum illud non ex alimento intus mollito fit, ſed ex appoſitione materiæ ex doctrina Themiſtij 2. *de anima cõm.* 6.; metalla autem aquea, & liquabilia exiſtunt, quod *Phyſici* non negant, & Alchimici experiuntur, ex aqua viſcoſa, ſiue ex aqueo argento viuo generata ſunt. Plantæ ſic cum aere conueniunt, vt niſi ſub diò non pullulant, nec coaleſcant; ſic animantibus omnibus igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo: Adeò cognatus eſt illis ignis, vt eo extincto mox tota vita deficiat: quam doctrinam habemus à Platone *in Thimeo*, vbi calorem naturalem ignem appellat, non quod ſit ignis (vt opinor) vel naturæ igneæ, cum ignis ſit corrumpere actiones naturales, & non perficere; ſed ignis ſeù igneus, quia ab igne emanat in mixtione, & talem adipiſcitur gradum, vt complexionalis fiat, animæ vegetatiuę in plantis, & animalibus inſeruiens vt inſtrumentum, quo omnes actiones, & paſsiones exercet, eodem ad miſti generationem vtens; & ità directus à virtute formatiua ſeminis, quæ cęleſtium corporum vi adiuta de potentia materiæ educitur, adeò illi intrinſecus euadit, vt & temperies, & facultatis robur nuncupetur. Auctores verò valde diſformes fuere: nam Ariſtoteles 2. *de generat. animal. cap.* 3. non ſolum innatum calorem, ſed Cæleſtem vocauit, & alibi Ariſtoteles nempe 2. *de anima tex.* 41. ſui factus immemor ab igne in corpore noſtro coctiones fieri affirmauit; alibi etiam complexionem hunc calorem appellauit *lib. de long. & breuit. vitæ*, Hippocrates tamen ignem vocauit calorem naturalem *lib de corde* 5., Galenus etiam 8. *de placitis Hippocratis atq; Platonis* 7. aſſerebat melius erat dicere non ignis, ſed inſiti caloris fontem, alteram hubuit opinionem 1. *aph. comm.* 14. *&* 15.; *quinto de ſimplic. medic. cap.* 19., 4. *aph.* 37, *& multis alijs in locis*: ſed conciliator *differ.* 59 interdũ cæleſtem, & interdum permixtum cum elementari eſſe dicebat, at quomodocunq; ſit in caſu noſtro ob caliditatem aliquo modo refertur igni.

Rurſus vnumquodquè illorum in ſe diſtinctum per elementorum gradus, nam inter lapides, præcipue terrei ſunt, atq; dicuntur, qui opaci, & graues; aquei qui tranſparentes, vt qui ex aqua congregati, vt Cryſtallus, Berillus, & Margaritæ in conchis, nec non, & lapis

Pyramacus, qui liquefcit ex Ariftotele, & Auerroe 4. *meteororum tex. & comm.* 40.; Aerei verò funt, qui aquæ fupernatant, & fpongiofi funt, vt lapis fpongiæ & pumex, & tophus: ex lapidibus verò, ex quibus ignis extrahitur, dicuntur ignei, & in ignem aliquando refoluuntur, aut ex *ipfo* geniti funt, ficut lapis fulminis, & lapis pirites, atq; Arbeftus, & qui ardent in *Scotica ex* 2. *quadripartiti cõm.* 45. fimiliter inter metalla terrea funt plumbum, & argentum; Aquea Argentum viuum; aerea cuprum, & ftamnum; ignea verò Aurum, & ferrum: in plantis quoq; terram imitantur radices propter denfitatem, folia autem aquam propter fuccum, flores aerem propter fubtilitatem; femina ignem propter fpiritum gignitiuum. *Præterea* aliæ dicuntur calidæ, aliæ humidæ, aliæ frigidæ, aliæ ficcæ, elementorumq; nomina ab eornm qualitatibus fibi mutãtes, ex confenfu Medicorum omnium, inter quos apud nos locupletifsimus eft Diofcorides.

Inter animalia etiam quędam præ ceteris terrea funt, & terræ vifcera inhabitant, vt vermes lumbrici, & talpę cum multis reptilibus; alia aquea funt, vt pifces, cancri, Anguillæ; alia aerea, quæ extra aeram viuere nequeunt; funt, & ignea ignem habitantia, vt Salamandræ, & quædam Cicadæ, quas pyrauftas vocant; & quæ igneo quodam calore feruent, vt columbæ, ftrutiones, Leones, & quas vocat fapiens beftias vaporem igneum fpirantes, & ignitos ferpentes *numeri* 21. in animalibus etiam offa referunt terram, frigida .n. funt, & ficca ex Galeno *lib.* 1. *de temperament. cap.* 6. *&* 9., *& lib.* 7. *cap.* 3., *& lib.* 2. *de element. cap* 2. caro aerem ob caliditatem, atq; humiditatem ex eodem Galeno *citato*, & Ariftoteles 2. *de partibus anim.* 3., & Auerroes *in comm. de longi, & breuit. vitæ, &* 4. *colliget cap.* 2. vitales Spiritus ignem ob fubtilitatem primo, & ob caliditatem ficcitatemq; ex Galeno *in lib. an fanguis in arterijs natura contineatur cap.* 2., *& alibi* 14. *cap.* 9. *de vfu partium*, & Auerroes 2. *colliget cap. de complexionibus*, aquam vero humores, quia fluunt; & hi etiam elementis partiti funt, nam bilis feu colera rubea cedit igni ob caliditatem ficcitatẽq; ex Galeno *lib.* 2. *de elementis cap* 4. *in fine*; aeri fanguis; pituita, feu phlegma aquæ; melanconia, feu nigra bilis terrę ex doctrina eiufdem Galeni *lib.* 2. *cap.* 2., *&* 3. *de temperamentis, lib.* 2. *de nat. facul.* 9., *decimo de fimpl. medic. facult. cap. de felle, lib.* 1. *cap.* 9. *de arte curat. ad Glauconem, & multis alijs in locis:* fed melius *lib.* 8. *cap.* 4. *de Placit.* Hip*pocratis atq; Platonis.*

In ipfa deniq; anima tefte Auguftino refert ignem intellectus, aquam

aquam imaginatio, terram verò ſenſus; atq; hi etiam elementis diſpartiuntur, nam viſus igneus eſt, nec enim ſine igne, & luce percipit, veluti docet Ariſtoteles cum Auerroe *cap. 2. de ſenſu, & ſenſili, 2. de anima tex. 74., & 162., & 3. de anima tex. 18.* nam aere percuſſo ſonus efficitur ex eodem Ariſtotele *2. de anima tex. 75. 82. & 130., & 3. de anima tex. 31., nec non, & cap. de ſenſu, & ſenſili*: olfactus autem, & guſtus ad aquam referuntur, ſine cuius humore nec ſapor nec odor fit. Ariſt. *2. de anima tex. 100, & cap. 5. de ſenſu, & ſenſili*: denique tactus omnis terreus eſt, & craſsiora corpora ſibi adſciſcens Ariſt. *2. de anima tex. 130.* quæ omnia habentr etiam à Galeno *multis in locis præcipue in lib. de oculis part. 2. cap. 6.*: Actus quoq; & operationes hominum ab elementis moderantur, veluti ex Galeno *lib. artis paruæ* colligitur, nec non ab Ariſtotele *lib. Phyſionomiæ, de generat. animal. & Hiſtoria animal.* cui aſtipulantur Polæmon, & Adamantius, & noſtra tempeſtate Io: Baptiſta Porta *lib. 1. cap. 9. Phyſionomiæ*: tardus enim motus, & ſolidus à terra ſignificatur; pauorem, & inertiam, & remiſſum opus aqua ſignat; alacritatem, & amicabiles mores aer; impetum acutum, & iracundiam ignis.

Elementa igitur omnium prima ſunt, & omnia ex illis, & ſecundum illa ſunt, atq; ipſa in omnibus, & per omnia vires ſuas diffundunt, veluti quis legens Ariſtotelem *in libris de Cælo, & Generat. & corrupt.*, nec non Galenum *in libris de elementis, & temperamentis* facile ſcire poteſt.

Eſt Platonicorum omnium vnanimis ſententia, quemadmodum in Archetypo mundo omnia ſunt in omnibus, ita etiam in hoc corporeo mundo omnia in omnibus eſſe, modis tamen diuerſis pro natura videlicet ſuſcipientium; ſic & elementa non ſolum ſunt in iſtis inferioribus, ſed & in Cœlis, & in Stellis, in Dæmonibus, in Angelis, in ipſo deniq; omnium opifice, & Archetypo ſuo modo, ſed in iſtis inferioribus elementa ſunt craſſæ quędam formæ immenſæ materiæ, & materialia elementa; in Cælis autem ſunt elementa per earum naturas, & vires modo videlicet Cæleſti, & multo excellentiori, quam Lunam. Nam cæleſtis terræ ſoliditas illic eſt abſq; craſsitudine, aquę & aeris agilitas procul ab effluxu: ignis calor ibi non vrens ſed lucens, omniaq; ſuo calore viuificans.

Ex Stellis præterea ignei ſunt Mars, & Sol ex Haly *parte 1. cap. 4* Ptholomæo *lib. 1. quadrip. tex. 29.*, quibus cæteri aſtipulantur; Aerei Iupiter, & venus; Aquei Mercurius (& vt nonnulli volunt etiam) Saturnus: terrei, quæ incolunt orbem octauum, atq; Luna,

quæ tamen à Ptholomeo *lib.* 1. *tex.* 30. *quadripar.* aquea putatur, quando videlicet terræ instar cælestis aquas attrahit, quibus imbibita vicinitate sua illas nobis influit, & cõmunicat; nos verò *S*aturnũ terreum iudicamus ex Ptholomęo *lib.* 1. *cap.* 4. *quadrip.*, Alcabitio *differ.* 2. *cap.* 1., Abraham Auenare *lib. introduct. cap.* 4., *&* *lib. rationum cap.* 29., Haly *part.* 1. *cap.* 4., Bonat. *tract.* 3. *cap.* 1., *& ex alijs*: sunt etiam inter signa terrea quędam, quędam aquea, quędam aerea, & quædam ignea, reguntq; in Cælis elementa quatuor illas triplicitates distribuentes illis cuiusq; elementi principiũ ignis Aries, progressum, & augumentum Leo, finem Sagittarium habet, principium terrę Taurus, agumentum Virgo, Decrementum Capricornus, aeris verò exordium Gemini, venter Libra, finis est Aquarius; principium Aquæ Cancer, Augumentum Scorpius, finem Pisces tenere solent: quam doctrinam quisq; legens habet in nostris de Mutatione Aeris *lib.* 1. *cap.* 4. 5. *&* 6., Ptholom. *lib.* 1. *quad. cap.* 4. *&* 17., Albumasar. *lib.* 2. *cap.* 7. *introd. magn.*, Alcabi. *differen.* 1., Haly *parte* 1. *cap.* 1., Alphragan. *lib.* 6. *introduc cap.* 12., Matern. *lib.* 2. *cap.* 32. & ex horum planetarum, & signorum mistionibus simul cum elementis conficiuntur omnia corpora.

Iam verò, & Dęmones hac ratione à se distincti sunt, vt alij dicantur ignei, alij terrestres, alij aquatici, & alij aerei; sed, antequam ad hoc deueniatur, Dęmones (secundum Porphirium, & Proclum) sunt in duplici discrimine, alterum est genus animarum, aut substantialium, & intellectualium Dęmonum. Alterum est materialium potentiarum, & huiusmodi sunt appetitus animales semper spiritui aduersantes, vnde Satani dici possunt id est aduersantes, vt Apostolus *Galæt. cap.* 5. clare testatur, caro (inquit) concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem; Hę .n. sibi ipsi aduersantur, quarum vires siue appetitus animales: alibi ipse Paulus *Roman.* 7. vocat legem membrorum dicens, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ quod nedum à Paulo, sed à Platone, Porphyrio, Proclo habemus maxime vbi de anima, & dæmone pertractant; sunt quoq; Dęmones boni, *D*ęmon .n sapiens interpretatur, qui si bonus, diuinus; si verò malus, Diabolus est, & intelligentia extra ordinem gratię nuncupatus.

Dęmonum genera multa sunt secundum nostros Theologos, sed Michael Psellus de mente Platonis, Porphirij, & Procli reducit eos ad quatuor genera pręcipua, & ad quatuor elementa, & terreum videlicet, & Septentrionale, Aqueum, & Occidentale, aereum Meridionale, & igneum Orientale: Terrei, & Septentrionales aduersantur nobis

tur nobis per carnem, aquei & Occidentales per ſanguinem pituitę admixtum, cum pituita ſit ſanguis diminute coctus ex Auerroe 2. *colliget. cap. 8.*; aerei meridionales per ſpiritũ ſuperbię tumefacientem, Ignei verò & Orientales per eſcandeſcentiam, & inflammantem iram precipitant, Orientales per diuinationes, Occidentales per deſperationem, Meridionales per nimiam fiduciam, quam habent de bonitate Dei, Aquilonares verò per rebellionem mortales à Deo euertere conantur cum damno ſuo, nam tam mala Arbor effecti ſunt, vt non poſsint niſi malos effectus ſiue fructus producere; non poteſt .n. mala arbor bonos fructus facere ſecundum veritatem ſeruatoris *Matt. cap. 7.* : vnde ad propoſitum hinc illi apud inferos quatuor fluuij, igneus Phlegeton, de quo Mantuanus.

Flammeus obſcuros Phlegeton perſuſcitat ignes

& Sylius *lib.* 13.

Exundantibus vrit ripas ſæuus aquis phlegethon

& Paulo poſt

Ardenti Phlegetonte natat fornacibus atris:

& Seneca Thyes.

Phlegethon arenas igneas totas agens.

Aereus cocytus, qui quidem ater, & obſcurus; non autem clarus, & lucidus, ideò Horatius *lib. 2. carm.*

riſendus aer flumine languido cocytus.

dictus pręterea cocytus à querelis, & lamentationibus, quę ſono mediante aere perficiuntur.

Stix aqueus, quem vt ſanctiſsimum iuſiurandum Dij habebant, quod teſtatur Homerus *lib. 5. odyſ.* 55.

Hoc ſciat, & tellus & vaſti Sydera mundi,
Quæq; ſtygis de fonte fluet venerabilis vnda,
Quæ iuramentum eſt ſuperis, numenq; beatis

Appollonius etiã *lib.* 2. Irim per ſtygiam aquã iurantem introducit

Sic ait & Stygiam iurauit protinus vndam
Quæ ſuperis veneranda Deis, quam fallere terror.

Terreus Acheron, cum dicatur terræ filius, & mortuus ex Apuleio *lib. 6. metan:* cum ad mortuum flumen venies, cui præfectus charon &c. & propter duriciem veluti Stat. *lib. 2. ſyl.*

Durumq; Acheronta videbas

& alter

Non ego Tyſiphonem, piceumq; Acheronta verebor

Hæc, & multa plura legimus apud Appollonium *in 2. Argonauticorum:* quin & in euangelijs legimus *Matt. cap.* 8. ignem Gehennæ,

henne, & ignem æternum, in quem ire iubebuntur maledicti, & in Apocalipsi *cap.* 20. legitur stagnum ignis, & alibi *Deuteron.* 28. de damnatis ait, percutiet eos dominus aere corrupto, & Apud Iob. *cap.* 24. ad nimium calorem transilient ab aquis niuium, & apud eundem *cap.* 10. legimus terram tenebrosam, & opertam mortis caligine terram miseriæ & tenebrarum.

Proinde etiam in supramundanis Angelis, & Beatis intelligentijs hæc elementa ponuntur, est enim in ipsis essentię stabilitas, terrea vis, quia sunt firma Dei sedilia D. Thom. 1. *parte quest.* 108. *art.* 5. *ad* 6., estq; clementia pietasq;, aquea virtus mundans; hinc à Dauide *psal.* 103. qui facis angelos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Ex ordinibus quoq; angelicis ignei sunt Seraphini, & Virtutes, & Potestates; Terrei, Cherubin; Aquei Throni, & Arcangeli; Aerei Dominationes, & Principatus: quam doctrinam facillime colligimus à Dionysio Areopagita *in lib. de Cælesti Hierarchia*, diffusius tamen in nostris de Medicina Cælesti *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. 5. 6. *&* 7.

De ipso etiam Archetypo omnium rerum opifice nonne legitur *Esaias* 45. aperietur terra, & germinet Saluatorem? nonne de eodem dicitur fons aquæ viuæ mundificans, & regenerans est? non ne idem spiritus spirans spiraculum vitæ *Genes* 2.? idem etiam *Deuteron.* 4. ignis consumens est?

Elementa igitur vbiq; & in omnibus reperiri suo modo nemo negare potest, primum in istis inferioribus ad feculenta, & crassa, in cælestibus autem puriora, & nitida; in supercęlestibus viuentia, & ex omni parte beata sunt, igitur elementa in Archetypo ideæ producendorum, in intelligentijs distributæ potestates, in cælis virtutes, in inferioribus crassiores formæ, etiam ex Platone *in Phılebo*.

Corpora inferiora continuantur superioribus corporibus, quorum Circularis motus est caussa cuiuslibet motus. Cap. 4.

AT iter incœptum prosequamur, cum dictum, atq; probatum sit ex doctrina Aristotelis, D. Thomæ, & aliorum clarissimorum virorum cælum esse vniuersalem, ac primam inferiorum caussam, modò est probandum quomodo cælestia corpora sint tali modo caussæ, & quomodo hæc inferiora continuentur Cælo, & quomodo Cæli motus circularis sit caussa cuiuslibet motus.

Ideò inferiora hæc à superioribus non secus, ac passiua ab agentibus dependeant, mundum hunc, quē Aristoteles *in lib. de gener. & corrup.* vocat actiuorum, ac passiuorum sphæram, illi superiori, & altiori

altiori continuari; ità ſonant verba *lib.* 1. *Meteororum cap.* 2. eſt autem ex neceſsitate continuus iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus gubernetur inde; in quibus verbis vult Ariſtoteles quod iſte mundus inferior conſtet ex quatuor elementis continuatis ſuperioribus lationibus, ideſt corporibus circulariter motis, continuum autem accipit ibi Ariſtoteles (commentator D. Thomas) pro contiguo, vt ſcilicet nihil ſit medium inter ea, & huius neceſsitatis ratio eſt non ſolum quia impoſsibile eſt locum vacuum eſſe 4. *Phyſ.* vnde corpora oportet corporibus continuari; ſed & propter finem, vt ſcilicet tota virtus inferioris mundi gubernetur ſuperioribus corporibus, quod non eſſet niſi ſe tangeret, opus .n. eſt quod agens corporale tangat paſſum, & motum ab ipſo

Quod autem inferior mundus regatur à ſuperioribus corporibus, & moueatur, duabus probat rationibus, quarum prima eſt; cauſſa mouens, vnde ſcilicet eſt principium motus, neceſſe eſt quod ſit prima cauſſa (& hoc intelligitur per reſpectum ad cauſſam formalem, & materialem, nam materia patitur ab agente, agens autem materiale eſt prius faciente, forma etiam eſt effectus mouentis, qui educit materiam de potentia in actum, & licet finis ſit prior agente quia mouet ipſum, non tamen ſemper eſt prior in eſſe, ſed totum in intentione) manifeſtum eſt autem ex prędictis corpus cæleſte inter naturalia eſſe primam cauſſam, quod & eius incorruptibilitas, & nobilitas demonſtrat; quapropter opus eſt, quod ipſum reſpectu horum corporum inferiorum ſit cauſſa, vnde principium motus.

Alia ratio eſt talis, motus cæleſtis corporis eſt perpetuus, nam in linea recta eſt accipere finem in actu, ſcilicet extremum ipſius lineę, in circulo verò non eſt accipere finem ſecundum locum; & ne aliquis crederet, quod motus corporum circulariter motorum ſit imperfectus, ſicut eſt motus rectus, cum nondum pernenit ad finem, ob id ſubiũgit, quod ipſe ſemper eſt in fine, quodlibet enim ſignum factum in circulo eſt principium, & finis; vnde motus circularis in qualibet parte ita eſt perfectus, ſicut motus rectus quãdo eſt in fine; cum igitur corpora cæleſtia ſemper moueantur, vt & 8. Phiſicorum probatum reliquit Ariſtoteles, & corpora inferiora non ſemper moueantur, dicendum eſt, quod hæc ab illis gubernentur, & regantur; id enim, quod ſemper mouet, comparatur ad id, quod non ſemper mouetur, ſicut agens ad patiens.

Quapropter cum cæleſte corpus lumine, motu, ac influxu actionem in his ſublunaribus habeat ex doctrina D. Thomæ 2. *Cæli cõm* 42.; hinc dilucide patet motum illius circularem priorem eſſe quo-

libet

libet alio *ex* 1. *Cæli tex.* 12. *&* 4. *Phys. tex.* 133. & generatione, quã tempore sequuntur augumentum, alteratio, decrementum, & tandem corruptio, ne dum tempore, quia perpetuum non perpetuo est prius, & probatur *tex.* 47. *lib.* 8. *Physic.*, & D. Thom. *tex.* 14. : ne dũ etiam perfectione, vt patet *text.* 59., & Auerroes 1. *Phys. comm.* 41., 4. *Phys comm.* 43., *&* 8. *Phys.* 75., verum etiam priori eo modo, vt docet Aristoteles *tex.* 56. quo non existente non erunt alia, & illud potest esse sine alijs, quæ inquam prioritas caussalitatem includit ex negatione conuertibilitatis, vti habetur in postprædicamentis cap. de priori; vnde fit quod, cum ille sit caussa cęterorum, cæteri ab ipso in esse dependeant, quapropter D. Thomas 4. *Phys. lect.* 17. docuit omnes alios motus tam extrinsecos, quam existentes in anima ab ipso Cæli motu dependere: subiungit huic D. Thomæ comm. Reuerendiss. Ferrariensis *quest.* 5. *super* 4. *Physicorũ*, quod dictum D. Thomæ de motu animæ à primo motu dependente intelligendum est non de ipsa successione cogitationum animæ secundum se, sed secundum quod illi opus imaginationis coniungitur, quod fit cum continuo, & tempore.

Respondent inquam omnium inferiorum motus corporum à primo corporis motu, adeo quod si corpus illud non moueret, & cætera moueri cessarent, quandoquidem docet Aristoteles *in lib. de sensu, & sensato*, & D. Thomas *opusc.* 35. quod proportionaliter se habet motus Cœli motui cordis animalis corruptibilis, sed cessante motu cordis cessat omnis alius motus eius, ergo cessante primo Cælo à motu, omne residuum, & Mundus totus cessat moueri, quia in per se ordinatis in mouendo cessante motu prioris cessat motus posterioris; sed inferiora hæc sunt per se ordinata in Cælum, igitur cessante Cælo à motu suo, hæc omnia cessarent quoque, quod ex hoc colligere clarius licet, quoniam Cælum est caussa vniuersalis, nihil en im, qod est indiuiduum alicuius speciei corruptibilium, potest esse caussa vniuersalis illius speciei, quia tunc illud indiuiduum esset caussa suimet, est ergo illud indiuiduum caussa particularis, Cælum autem vniuersaliter causat: at cessante vniuersali cessat caussa particularis, ergo cessante Cælo à suo motu, hæc omnia quoque inferiora cessarent: Præcipue cum se habeant veluti instrumenta respectu superiorum, vt D. Thomas *prima parte quæst.* 115. *art.* 3. *ad secundum*, & scribitur *lib.* 2. *de ortu*, *& interitu tex.* 54. & cessante principali cessat instrumentum, vt asserebat Auerroes *in lib. de somno, & vigilia comm.* 55. Instrumentum enim artificis, sicut docet Aristoteles 8. *Phys. tex.* 47. non mouetur nisi secundum artificem,

& 2.

& 2. de generat. instrumentum non mouet sine artifice;ista inferiora sunt quasi instrumenta,per quæ mouent corpora cælestia, scilicet quod homo in generatione hominis nõ dat nisi illud,quod est quasi instrumentum,& corpora cęlestia sunt quasi artifex ; concluditur ergo quod ipsis cessantibus à motu, hęc quoq; necessario cessarent, addit hicHerueus subtilissimus interpres,quod lapis proiectus dum est in medio proiectionis, si Cœlum cessaret à motu, ipse immobilis existeret in medio aeris, cessaret enim influxus caussę, quo lapis habet moueri: nec miraculosa, sed naturalis esset cessatio,ac permanentia ipsius in aere, quia huius conditionis, ac naturę sunt inferiora, vt nisi motu primi corporis moueantur, ac gubernentur; tota enim materia, inquit D. Thomas *1. parte quest. 115. art. 6. in argumento 2.* horum inferiorum corporum subijcitur virtuti corporis cęlestis tanquam excellentiori.

His omnibus claris,& aperte cognitis concludit ipse Sanctus Doctor *prima part. quæst. 115. art. 3. in corpore, & art. 4. ad 2. & prima 2. quæst. 109. art. primo in corpore* his verbis, & ideò manifestum est quod motus omnes horum inferiorum corporum reducũtur in motum corporis Cælestis, sicut in caussam, & D. Augustinus *3. de Trinitate cap. 4.* asserebat, quod corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ex his licet cuilibet arguere Cæli continentiam inferiorum omnium: Hoc etiam Aristoteles *4. physs. text. 33.* vbi continens in commune, & proprium distinguebat, & illud Cælum esse omnia inferiora ambiens dicebat.

Sed quænam sit continentia ista conijcere quisq; potest ex prędictis præintellecto, quod apud Philosophum continentia in manu tenentia, seu conseruatio alicuius rei, vnde dicitur Dolium continere vinum, & amphoram continere aquam, & est duplex, altera corporalis, altera spiritualis; corporalis est inter corpora, & fit per contactum siue matemathicum, qui est per lineam, superficiem, & corpus, siue naturale, qui fit per corpus tantum, vt docet Auerroes *5. Phys. comm. 30.*: spiritualis verò illa est,qua anima, corpus, & Deus res creatas continet, vt D Thomas dixit *prima part. quæst. 8. art. primo in arg. 2* probans Deum non esse in rebus, quia, quod est in aliquo, continetur ab eo; sed Deus non continetur à rebus, ergo non est in rebus; respondebat quod licet corporalia dicantur esse in aliquo sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt sicut anima continet corpus, vnde & Deus dicitur esse in rebus sicut continens res, tamen per quandam similitudinem

D corpo-

corporalium dicũtur omnia esse in Deo in quantum continentur ab ipso, vt ait *D.* Augustinus *lib. 83. quæst.* in ipso potius sunt omnia, quam ipse alicubi sit.

Quibus stantibus dicere possumus, quod Cœlum vtroque modo dicitur continere ista inferiora, continentia corporali, quia est locus omnium inferiorum, & continentia spirituali, quia est vniuersale agens, vt probatum est. Insuper continet vt forma, & vt finis; vt forma per Auerroem *4. Phys. comm. 47.* quia contentum se habet ad continens sicut materia ad formam, & quemadmodum materia perficitur per formam, ità contentum perficitur per continens *ex 4. Cæli tex. 35. Aristot.* continere est formæ, & contineri est materiæ; vt finis verò, quia forma, & finis coincidunt ex Arist. *2. Phys. tex. 88. & 5. metaphys. tex. 29.* cui astipulatur Auerroes *2. phys. comm. 24. 3. phys. comm. 5. 2. de anima 37. & 8. metaphys. 12.* continet quoque vt agens conseruatiuum omnium inferiorum.

Quibus à nobis dictis videmur satisfacere acutissimo atque peregrino ingenio Illustrissimi GREGORII MALVETII patritij Bononiensis, qui quidem hac nostra Aetate præter aliorum equitum, Comitumque atque Marchionum consuetudinem omnes litteris omnibus, & armis absque vlla difficultate præstat. At dubitas vir Illustrissime, nam Cælum non continet hæc inferiora producendo, & conseruando, eo quod omnis effectus dependentiam habens à caussa in ipsam debet resolui, hæc verò inferiora non possunt resolui in Cælum, quia non possunt duæ caussæ eiusdem generis dependentiam vnius effectus terminare, & per consequens, cum caussa particularis terminet dependentiam effectus efficiendo, & conseruando, Cælum ob id idem non poterit. Huic occurro vir Illustrissime distinguendo, caussarum eiusdem generis aliæ sunt, & eiusdem ordinis, & totales; aliæ diuersorum ordinum; resolutio in caussas eiusdem generis primo modo est impossibilis; quia ordo essentialis periret caussarum, sicut docet D. Thomas *prima par quæst. 52. art. 3. 3. contra gent. cap. 68. & 4 sentent. distinct. 3. art. 2. quæst. 2. ad primum, & 3. part. quast. 76. art. 6. & quæst. 82. art. 2*; resolutio vero eiusdem effectus in duas caussas eiusdem generis, sed diuersorum ordinum est possibilis, vt probatum fuit superius *cap. primo*: sic autem in proposito de caussa particulari rei inferioris, quæ est caussa posterior, Cœlum autem est caussa prior, & in vtraque resoluitur dependentia ipsius effectus; concludendum igitur erit ipsum Cælum omnium effectuum in his inferioribus dependentiam terminare efficiendo atque conseruando, qua propter D. Dionysius

nysius *4. de diuinis nominibus* habet, quod lumen solis ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam ipsa mouet, & nutrit, & regit, & perficit.

Per duplicem Cæli motum fiunt generationes, & corruptiones inferiorum, quorum ætates habent suas periodos à Cælo. Cap. V.

SVPRA enarratus Cæli motus, vt inferiora conseruet, est valde considerandus, nam & veluti notat Aristoteles *2. de generat. & corrupt. tex. 56.* idem secundum idem non est aptum nisi facere idem, & hæc inferiora sunt contraria; at contrariorum contrariæ sunt caussæ, & non ab vno existente vno multæ procedunt: nec est sumenda similitudo de igne, qui idem est qui generat, & corrumpit, nam si ignis generat ignem, corrumpet lignum, & ab eodem fit generatio, & corruptio: vnde respondetur quod quando Aristoteles dixit ab eodem contraria non fieri, hoc esse intelligendum de eodem respectu eiusdem, ac eodem modo se habente non fit generatio rei, & corruptio eiusdem rei, quia generatio vnius rei eiusdem rei corruptioni contrariatur: sed respectu diuersorum, generans agit vnum per se, corrumpit autem aliud per accidens.

Oportet igitur aut plures motus contrarios facere, aut saltem inæqualiter se habentem, & cum plures motus non possint esse (cum circularis circulari non sit contrarius) sequitur vt ponendus sit vnus motus habens inæqualitatem, & diuersitatem aliquam, vt sit caussa diuersarum, & oppositarum mutationum, & verba Aristotelis ità sonant.

„ Quoniam autem suppositum est, & demonstratum continuam
„ esse rebus generationem, & corruptionem, dicimus autem la-
„ tionem caussam esse generationis; manifestum est quod vna exi-
„ stente latione non contingit fieri ambo, quia contraria sunt;
„ idem enim, & similiter se habens semper idem natum est facere:
„ quo circa generatio erit semper, aut corruptio. Oportet enim
„ multos esse & contrarios motus, aut latione aut inæqualitate, cō-
„ trariorum enim contrariæ caussæ; Ideoque non prima latio caus-
„ sa generationis, & corruptionis est; sed quæ secundum obliquū
„ circulum: in hac enim, & continuum vnum est & moueri duo-
„ bus motibus. Necesse enim, si erit semper continua generatio,
„ & corruptio, semper aliquid moueri vt non deficiant ipsæ trans-
„ mutationes: duobus autem vt non solum contingat alterum. Cō-

„ tinuitatis igitur, quæ est totius, latio caussa est, accedendi verò „
„ & recedendi inclinatio: contingit enim quandoque fieri longe,
„ quandoque verò prope, inæquali verò distantia existente inæ-
„ qualis erit motus. Quocirca si in adueniendo, & in prope esse
„ generat; & in recedendo & longe fieri id ipsum corrumpet, &
„ si in prope adueniendo generat,& in sæpe recedendo corrumpit:
„ contrariorum enim contrariæ caussæ.

Vnde patet quod caussa efficiens perpetuitatis in generationibus non est motus primus nempe primi mobilis cum semper vniformis sit, sed solis motus, & cęterorum planetarum per circulum obliquũ (quem Zodiacum appellant) cum obliquè Sphęram diuidat, & super polos distantes à polis mundi ex Ptholomeo *in magna almagesti compositione*, ex quo Ioannes de Sacro Bosco, & cęteri Astronomi. Et equidem veluti in nostris de Mutatione Aeris diximus *lib. primo cap. 6.* qui recte Zodiacum, & ea, quæ in ipso continentur, intelligerit; certe perfectissimus erit Astrophilus; nam omnes impressiones, quæ in hunc mundum eiaculantur à Cælo, à Zodiaco dependent, nam Sol, & cęteri planetæ semper sub ipso reperiuntur, & licet multæ de fixis in eo non sicuentnr, tamen omnes ad ipsum reducuntur, & demonstratio sit talis, A polus mundi Septentrionalis, F. verò Meridionalis; trahantur ergo duo semiarcus per principium Arietis, & finem eius applicãdo ambas extremitates ad vtrumque Polum, & manifestum est quod quilibet ipsorum diuidit



Sphæram per duo æqualia: *per septimam proposit. 3. Euclidis*, & cum polus sit centrum circuli, ergo diameter huius circuli est æqua-

lis

lis diametro Mundi, & tunc diuidantur semiarcus in duo æqualia in punctis B. C. & D. E. & manifestum est *per 14. tertij Euclidis*, quod linea *D*. E non transit per centrum sphęrę Mundi, ergo arcus B. F. & C. F. sunt maiores arcubus D. F. & E. F. ergò etiam corda B. F. & C F. sunt maiores cordis D. F. & E. F., ergò omnes quantitates infra B. C. F. continebuntur à quantitate B. C. & omnes bases constitutę sub quantitate B. C. sunt minores, & contentę, quod erat probandum; & propterea sit quęcunque portio Cęli vel Stella, aut virtus quęcunque distet ab ęquinoctiali, vel Zodiaco est nobis nota per demonstrationem: alię demonstrationes habentur in nostris de mutatione aeris *lib. primo cap. 6.*

Sed ad propositum dicitur Zodiacus à verbis græcis Zodion, vel Zoe, Zodion sonat animal, hoc est, deferens animalia, duodecim enim signa animalium formis in Zodiaco pinguntur, quod si a Zoe (quod magis verum est) & interpretatur vita, quasi Zodiacus sit vita inferioris Mundi. At non formaliter dicitur vita sed subiectiue, nam signa, quæ in ipso figurantur, non formaliter agunt, sed per errantia sydera, nam sicut forma se habet ad materiam, sic ad signa radij errantium stellarum, vnde à planetarum radijs informatus inferiorum omnium dicitur vita. Ideo Albumasar *in magni introduct. principio* dicebat ipsum esse vitam, & animalium cor, nam sicut cor vitali informatum virtute ad membra nostri corporis se habet, eo quod est operationum, & motus principium, & caussa; sic & iste circulus erraticarum stellarum radijs informatus omnium inferiorum vita dicitur, signa corpus denotant, planetę verò, quæ ipsum mouent.

Sed dicta Aristotelis contemplans ex Zodiaci obliquitate continuæ generationes, & corruptiones fiunt, temporum etiam, & aeris mutationes; nam dum sol cum cęteris Planetis se appropinquat, & in Arietis principio existit, qui ad nos est in æquali propinquitate, tunc enim calefacere incipit, & superfluam præteritę hyemis consumit humiditatem, atque ver incipit, veluti affirmat Ptholomæus *lib. primo quadrip. tex. 38.* quam ob aeris temperiem in calido, & humido, quæ sunt materia, & caussa generandorum, primo terra videtur herbarum diuersitatem producere, & florum arbores germinant, animalia nascuntur, & alia multa, & quousquè Sol per Arietem, Taurum, & Geminos mouetur, perdurat; & dum Sol ad nos magis appropinquat ex Galeno *libro de Natura Humana comm. 35.* calor intenditur, & humidum consumitur, & siccitas intenso associatur calore; ideò ex Ptholomæo *lib. primo tex. 29. & 41.*

quadri-

quadripartiti, Sole Cancrum ingrediente Aestas incipit, tuncque Aestus maximum, quia in fine appropinquationis, aer enim tunc multum exiccatur, & durat donec per dua succedentia signa nempe Leonem, & Virginem Sol rotatur; meritò igitur Aestas calida, & sicca dicitur ex Hippocrate *lib. de salubri dieta tex.* 4., & Galeno *primo de temper.* 3., calida propter Solem in Auge teste Ptholomæo *lib. primo quadrip. tex.* 37, sicca propter aeris euaporationẽ, in hoc tempore etiam ob calorem fructus mutantur, messes siccantur, & ea, quæ vere genita sunt, perficiuntur. Dum verò Sol in principio Libræ reperitur cum à nobis sit remotus, & continue remoueatur, frigus incipit, & intenditur continuè peragrante Sole per Scorpionem, & Sagittarium, etiam tunc siccus est aer retinendo eandem Aestatis siccitatem, tamen propter Solis distantiam frigus generatur, meritò igitur frigidus, & siccus Autumnus ex Hippocrat. & Galeno *lib. de Natura Humana tex. comm.* 36., & Galenus *lib.8. cap. 6. de placit. Hipp. atque Plat* eodem etiam tempore multa, quæ alijs temporibus non fiunt, producuntur, corrumpuntur quoque generica in præcedentibus temporibus, & alia generantur. Dum Capricornum Sol ingreditur ob sui distantiam à vertice nostro frigus fit excessiuum vna cum humiditate ob multos vapores humidos e terra eleuatos, & in nubes conuersos, qui licet a debili calore releuari possint, consumi tamen nequaquam; ideò tale tempus, quod Hyems nuncupatur, in vltimo frigidum, & humidum dicitur ex Galeno *lib. de salubri dicta comm.* 2. & donec Sol per Aquarium, & Pisces vsque ad Arietis principium peragratur durat, multa corrumpuntur, & generantur, & terra impinguatur ob eius humiditatem, arbores constringuntur, & intrinsecus nutriuntur, & attracto per radices humore ex terra restaurantur, & ad generationem nouorum fructuum præparãtur: iterum intrante Ariete calor generatur. Hæc igitur, vt diximus, a Zodiaci obliquitate manant, & si hæc non esset diuersitas nempe caloris, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, sed semper altera earum qualitatum, animantium vita esse non posset, nam si semper calidum vel frigidum esset, semper generatio vnius elementi esset, & sic omnia alia corrumperentur, verbi gratia si semper Hyems esset, semper aqua generaretur, & sic alia elementa, præcipue ignis corrumperentur, & consequenter mundus destrueretur; adest igitur caussa quare variæ in aere diuersęque alterationes appareant modò ad caliditatem modo ad frigiditatem, exiccantes, aut humectantes, aut mala qualitate ipsum inficientes, ad cuius aeris qualificationem modis varijs alterationes

ipsa

ipsa mixta ad corruptionem, & resolutionem corporum mixtorum ex quatuor elementis insequuntur ducentes ipsa mixta ad resolutionem, & corruptionem in ipsamet quatuor elementa, ex quibus nonua mista reagregantur, quod est namque generatio vnius est alterius corruptio, & econtra, sicuti *primo de ortu, & interitu tex.* 17. ostendebat Aristoteles: corpus igitur humanum cum sit generabile & corruptibile, sicut cętera mixta terrena, est influentijs subiectum, mouetur enim, alteratur, & corrumpitur motibus diuersis ab eisdem syderibus, & hoc in quantum corpus mistum ex quatuor elementis; sed anima, veluti inferius dicetur, non subiacet Stellis, motuique Cęlorum.

Sed duo quæret aliquis, primo si Sol per accessum ad Cancrum est caussa æstatis, & per recessum est caussa Hyemis, & si accessus, & recessus Solis fit sub Eclyptica, & eodem modo; ergo Aestas vna altera non erit calidior, nec Hyems vna frigidior altera, & tamen cōtrarium videmus, & experimur. Ad quod dicendum, quod non solum Sol est caussa alterationis temporum, sed etiam alij Planetæ per diuersas constellationes cum Sole, & inter se ad inuicem in diuersis signis, cum semper non sint in eadem distantia, & propinquitate.
„ Ideò Plato *in Thimeo* dicebat, cęterarum verò Stellarum præter
„ Solem, & Lunam circuitus, neque notant, neque dinumerant
„ homines exceptis paucis, nec intelligunt discursus cęterasque ea-
„ rum temporis esse genituras: in quo fit admiranda varietas pro-
„ uentuum Cælestibus tramitibus, quia variantibus Stellis fiunt ste-
„ rilitates, fertilitates, bella, morbi pestiferi, &c. quando videlicet errantia sydera per diametrum opponuntur, vel coniunguntur, vel per trigonum, vel exagonum, vel tetragonum verberātur.

Secundo cum Sol quolibet anno accedat, & recedat, & accedendo generatio fit, corruptio vero recedendo, ergo homines quolibet anno generarentur, & corrumperētur, & sic cętera animalia, & per consequens falsa est doctrina Aristotelis *lib. 8. cap. 9. de natura animal.* vbi dicebat Elephantem visque ad trecentos annos viuere. Ad hoc respondet Aristoteles *2. de gener. & corrupt. tex.* 57. quod duratio cuiusque misti animati, & inanimati finita est, ac certo annorum, vel dierum vel horarum numero conclusa, hoc idem alibi videtur affirmare Aristoteles *primo Cæli tex.* 100. qui numerus dicitur periodus circulationum, fiunt enim tempora circumuolutionum, cuius caussa periodi duplex est, ex parte scilicet Cæli, & hæc dicitur virtus in ortu rei communis, quæ varia est pro specierum varietate in ipsa materia recepta, immo in materijs vnius speciei variæ solent

solent recipi pro varia ipsorum dispositione, & sic varias efficit durationes, omnes tamen finitas, quia & virtus illa finita est, & debilitatur cum sit in materia, veluti diffusius diximus *Tom. prim. medic. Cælestis nempe lib. prim. cap.4. de Hominis procreat.*

Potest etiam diuersificari virtus hæc ex parte sua pro vt cum alia vel alia virtute alterius actu coniungitur, & sic non eosdem habet effectus; alia caussa est ex parte rerum nempe qualitatum complexio, & tempore, in quo consistit, quæ modificate à corporibus Cęlestibus secundum diuersitatem complexionum prouenit diuersa duratio, & quia omnes contrarium habent, cui magis vel minus pro ipsarum varietate resistunt; omnes tamen paulatim vincuntur, donec in corruptionem redigantur; sunt etiam aliæ, & aliæ prò diuersitate specierum, & sic sunt variæ periodi specificæ, immò intra speciem sunt variæ complexiones non solum ex Galeno *lib. de elementis, & temperament. & alibi,* Auicenna *Fen. prima, & alijs,* sed etiam à Ptholomęo *lib. 3. quadr. cap.15.* Haly *part. 4 cap.9.* quibus astipulantur alij: intra vnam speciem igitur sunt variæ complexiones inclusiue sub latitudine illius speciei, & sic sunt varię indiuiduorum etiam vnius speciei periodi, nec omnia periodum suę speciei attingunt; Ptholomęus hęc habet *lib.3. cap. 10. & 11. & lib.4. cap. 11. quadrip.* & alij omnes Astrophili confirmant: Animantium igitur specificę periodi enarrantur ab Aristotele, & Auerroe *in lib. long. & breu. vitæ, & passim in lib. de Histor. animal.*

Sed inanimatorum periodus quasi semper excedit illam animatorum primo, quia animata ab intrinseco, & extrinseco corrumpuntur; ab intrinseco, quia influxa cõplexio est partium dissimilitudo multa, est magna intrinseca pugna, & similiter alteratio propter intus ad nutriendum suscepta alimenta, quę ipsam alterant, cum in principio non sint similia, vnde continuè lędunt; ab extrinseco etiam scilicet à continente aere, terra, Cœlo, & alijs continue patitur, veluti diffusius infra *lib.2. cap. primo.* Inanimata tamen ob homogeneitatem totum fere ab extrinsecis patitur.

Postrema caussa est, quia animata ab extrinseco continente multum sunt apta pati, non autem inanimata, qualia lapides, metalla, & alia ob resistentiam maiorem, sunt enim dura, & pręterea quia qualitates magis habent in excessu, quibus resistatur; Pręter hanc affertur altera nempe recta temperies necessaria viuentium, cum enim poscant rectiorem temperiem sub inordinatione magna conseruari non possunt, sicuti inanimata, verbi gratia lapis potest pati maximum calorem, & frigiditatem, ob id magis durat, & minus

vinci-

vincitur;experimur etiam in ipsis animalibus,quæ quò imperfectiora sunt maiori sub intemperie durant, quam perfectiora.

Ad argumentum dicimus quod Aristoteles loquitur de generatione vniuersali considerando omnia,quę generantur in nostra regione, quæ omnia fere solent fieri Sole nobis accedente,quãdo enim Sol nobis approximatur,fit ver, quo tempore fere omnia spiritum, & vires recipiunt, & nostra tellus, quam incolimus,quodãmodo renascitur vnà cum plantis,& herbis,sicq; per accessum Sol est caussa generationis vniuersalis, & sic e contra per recessum, veluti superius dictum est à nobis. At iterũ instabit aliquis,in hyeme etiam generantur aliqua,& tamen Sol recedit. Respondemus quod tali tempore particularis accessus facit id,quod tempore æstiuo facit vniuersalis accessus cum hyeme sunt accessus particulares Solis, per quos Sol est supra Orizontem,& operatur id,quod vniuersalis accessus; attamen veluti dictum est, Aristoteles loquitur de accessu vniuersali: secundo dicimus,quod præter Solem intelliguntur etiam reliqua sydera: Aristoteles verò ponit partem pro toto.

Attamen hoc in loco nõ est silentio inuoluenda illa quæstio Augustini Niphi Suessani,quam habet *lib. 2. de gen. & corrup. comm. 90.* dubitat enim,nam Ptholomęus *lib. enunciatorum,idest proposit. 50. centiloquii* dicebat non esse prætermittendas cẽtum, & nouem coniunctiones,nam in his posita est cognitio eorum,quę fiunt in mundo, & generationis, & corruptionis, in quibus coniunctionibus dicebat etiam Ptholomęum excludere Solem,& Lunam;& Aristoteles generationem,& corruptionem tribuit Solis motui tãtum: conciliat dicendo,quod Aristoteles negasset illa, quoniã alijs stellis paruam aut nullam vim præbuit,& Aristoteles loquitur in generationibus,& corruptionibus, quæ accidunt ordinate, & vniuersaliter; Ptholomæus verò locutus est de generationibus,&corruptionibus particularibus inordinatis,quæ accidunt extraordinate in anno; quę responsio licet habeat aliquam veritatẽ,tamen non omnino placet, & primo Ptholomæus non excludit Solem,& Lunam,vt ipse Suessanus putat, & veluti est videre in omnibus coniunctionibus binaria, ternaria, quaternaria,quinaria,senaria,& septenaria;in quibus semper ponũtur Sol, & Luna;pręterea licet Sol vim,& influxum magis sensibilem tribuat, ac statim, & à Galeno *lib. 3. cap. 10 de diebus decretorÿs* appelletur magnus,& pulcherrimus omnium,quę sunt in mundo;superiores tamen planetæ dicuntur ponderosiores, quia magis imprimunt licet tarde;Ideò dicimus quod quãto aliqua sphęra est maior, tantò est excellentioris actionis; hac de caussa Primum mobile,sphęra Saturni;

E Iouis,

Iouis,& Martis excellentiores imprimunt effectus,quam sphœra Veneris,Mercurij,& Lunæ,qui quidem inferiores planetæ leuiores dicuntur,quia leues imprimunt effectus in inferiori mundo respectu superiorum:Hinc superiores planetę dicuntur significationes Regum, nobilium,& magnatum;inferiores verò populariũ, & minorum personarum, veluti Ptholomæus *lib.* 4. *quadr.*, Hermes *de Speculis*, *& Luce*, Haly *part.* 3. *& cæteri Astronomi*, quæ si ab Aristotele (respondendo ad Argumentum) cognita fuissent, sicut Solem, alios planetas anteposuisset,ipse .n. habuit vniuersalem notitiam de Cœlo ad Philosophum tantũmodo pertinẽtem, nec in particulari de omnibus motibus,& effectibus Syderum;quod etiam ipse confessus est;ideo 2. *Cæli tex.* 60. dicebat, de hac scientia esse credendum Ægyptijs, & Babylonijs,qui eam obseruauerunt à plurimis annis,& ipse Aristoteles multam fidem habebat ipsis de vnoquoq; Astrorum, Ægyptij .n. (veluti Aristoteles affirmabat *lib.* 1. *cap. vltimo Meteororum*) hominum antiquissimi sunt. Ideo,& de mutationibus,& effectibus particularibus, qui à particularibus syderum aspectibus, & coniunctionibus,atq; deliquijs orientur, Ægyptiorum doctrinam sequemur, & illorum,qui maxime hanc doctrinam calluerunt.

Influxus, qui a Cælo transferuntur in inferiora, ex duplici Cæli caussa cognoscuntur vniuersali .s. & particulari. Cap. 6.

SVPERIVS cap. 1. diximus Deum auctorem Naturæ,& caussam primam omnis boni,ipse enim mutat tẽpora,& ætates:transfert regna,atq; constituit; dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam : ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta,& lux cum eo est teste Daniele *cap.* 2. cuius maiestatem scrutari velle hominum est parum de sorte sua cogitãtium.

„ Tamen cum Naturę libro,& Cęlo in primis,quod mensurat tem-
„ pora motus,ac mutationis omnis generis inuisibilia, & sempiter-
„ nam suam virtutem maxima ex parte insculpserit, immo Cælum
„ nobis proposuerit vt esset insigna rerum pręsentium,& futurarum
„ nos religioni veræ contraria non facere videbimur si cum timo-
„ re,& tremore immutationes illas inquiramus, & meditationibus
„ nostris nullam adscribamus necessitatem.

Hasce igitur vniuersales mutationes fieri ex translatione Apogęorum,& Perigęorum Planetarum ex mutatione eccentricitatis Solis, & obliquitatis Zodiaci,& maximis Planetarum cõiunctionibus, nec

non ex

non ex tardissimo Stellarum fixarum motu Mathematici affirmant, & cum effectibus caussas analogas esse coueniat, & vero effectus dissimiles in terræ regionibus, & vrbibus non nisi diuturno tempore, & elapsis aliquot seculis se se prodant, consentaneum est eos quoq; à caussis ad sensum non ita mutabilibus, vt sunt motus planetarum, sed tardioris, & insignioris mutationis, vt sunt progressiones Stellarum fixarum, coniunctiones magnæ planetarum in diuersis trigonis &c. prouenire teste Ptholomæi cōmentat. *in supplemēt. Almanach. cap. 10., & 1. aph.*, & Leupold. *par. 1. cap. 4.*

Hac de caussa concludimus, quod Cœlestia corpora agunt secundum materiā dispositam (veluti superius dictum est, & infra dicetur) quæ si vno tempore prona non videtur, eam conatur præparare ad eorum formam suscipiendam, agens enim naturale non agit in passum nisi secundum dispositam materiam ex Aristotele 2. *de Anima tex. 26.* Ideò si effectus, qui prædicuntur non solum in istis vniuersalibus mutationibus coniunctionibusq;, verū etiam singulis annis per annorum reuolutiones particulares, particularesq; constellationes non verificantur anno illo, verificabūtur annis futuris postquam inferiora agitata, seu concitata à precedentibus influentijs disposita fuerint, quemadmodum per magnas coniunctiones præcedētes sapientes patefacerunt effectus significatos post multa tempora factos esse, vt Albumasar fatetur magnarum coniunctionum libro, coniunctionem, quæ Diluuium produxit, precessisse diem Diluuij annis 279. & illa, quę Mosen 80. annos præcessisse antequā eius effectus patefieret.

Sed iudicium de mutationibus Absidum Planetarum, eccentricitatis Solis obliquitatis, Zodiaci, & magnarum cōiunctionum maximis est inuolutum difficultatibus, cum ipsorum momenta, & alia ad hoc iudicium adminicula maxima ex parte ignota sint, nec dum certis, & indubitatis limitibus inclusa.

At, vt aliqua habeatur cognitio, Absidum planetarum mutatio ex comm. *1. aph. 37.* regna, regiones, religionesq; mutat, inhabitabilemq; reddit aliquam terræ partem, veluti idem confirmat *5. aph. 129.*, qua etiam mutatione, nempe planetę quinque cum Sole loca, in quibus altissimi, & à terra meditullio remotissimi, item humillimi, & terræ propinquissimi, & vna cū locis illis motus velocitatem, & tarditatem in alia, & alia signa Zodiaci secūdum signorum seriem transferunt.

Solis eccentricitas declaratur à Copernico *lib. 3. cap. 20. reuol.* per motum parui circuli, qui centrum eccentrici in sua circumferētia circumfert absoluēs quolibet die secund. 1. tert. 2. quar. 2. quin.

 19. text.

19. ſext. 31. ſept. 47. & quolibet anno min. 6. ſecund. 17. tert. 24. quart. 8. quint 49. ſext. 20 ſept. 56. ergo vnam totam periodum perficit annis Ægyptiacis 3434. & eccentricitas minima, quæ conſtituitur 1653. præſupponitur part. 1. min. 55. ſecund. 53. tert. 1. Mutatio obliquitatis Zodiaci quæ cũ maxima eſt conſtituitur grad. 23. min. 52. cum minima grad. 23. min. 28. vt ipſe met Copernicus docet *lib. 3. reuolut. cap. 2. 3. 4. 5., & 6., & præcept. 13. ex cap. 1. lib. 2.*, & Maginus *Canone* 1. *tab. primi mobilis*: quæ Zodiaci obliquitas cum Solis eccentricitate conuenit, augetur enim, & minuitur Zodiaci obliquitas cum Solis eccentricitate, vt hac exiſtente maxima vel minima, illa quoq; maxima, vel minima deprehendatur; ideò anno 1653. iuxta prutenicas ſupputationes Zodiaci obliquitas maxima eſt part. 23. min. 28., & eſt minor, quæ eſſe poſsit.

Reſtat modo, vt de Magnis coniunctionibus dicamus ſuperiorum planetarum Saturni, & *I*ouis, ſed comment. 1. *aph.* 64. aſſerebat triplicem eſſe coniunctionem, Magnam, Mediam, & Minorem; Minor 1. *aph. 65.* ſingulis annis 19 diebus 315. horis 19. recurrit, & in ijſdem conficere 8. ſigna 2. grad. 59. min. & 9. ſecund.; media quę tranſit in ſignum ſequẽtis trigoni diuerſæ naturæ, & triplicitatis annis 198. diebus 236.; & magna, quæ ex aqueo in igneum fit progreſſus annis 794. diebus 214.; ſed Copernicus exquiſitiſsimus Cæleſtium corporum ſcrutator *præcep.* 37 oſtendit ex ſuppoſitione diurna Iouis ſuper Saturnum aliqua ſcrupula ſuperare, vnde ſpatio temporis non 794. annos, & 214. dies, ſed 794. annos, & 231. dies cum quadrante horarum vnius diei.

Alij tamen appellant coniunctiones magnas, quando ponderoſiores tres planetæ ſimul concurrunt, quæ opinio minime eſt ſpernẽda: ſed ad aliam capitis partem nempe particularem deueniamus.

Particulare iudicium ſumitur ex particularibus influxibus Syderũ veluti ex reuerſione Solis quolibet anno ad æquinoctialia, & Solſtitialia puncta, ex Nouilunijs, & Plenilunijs præcipue eclypticis, cęteriſq; luminarium, tum reliquorum planetarum configurationibus acceſſu ad illas, vel illas Stellas ortu, & occaſu cum fixarum, tum erraticarum, & huiuſcemodi, de quibus Ptholomęus *lib. 2. quadrip. ſeu Apoteleſmatũ*, & omnes Ephemeridũ conſtructores *in Iſagogicis* tractat, & nos alibi *in tribus libris de mutatione Aeris* copioſe; quę particulares configurationes, eclypſes, trãſitus, aſpectus atq; directiones ſtimulant cauſſas vniuerſales; adeo quod Magnarũ coniunctionum effectus niſi adiuuarentur à particularibus dictis valde in longum protraherentur.

Sed

Sed de Magnis coniunctionibus tractaturus valde obseruandũ est, nam cum quatuor sint Cælestia signorum triangula ex Ptholomæo *cap. 17. lib. 1. quadr.*, Albumasare *lib. 2. cap. 7.*, Alcabitio *differentia 1. cap. 4.*, Haly *part. 1. cap. 1.*, & omnibus Astrophilis, & cum in omnibus effectus mirabiles producãtur, veluti est videre apud Albumasarem *in suis de differentiis magnarũ coniunct.*; illæ vero, quæ in trigono igneo celebrantur, effectus potentiores producunt, præcipue dum fit mutatio de aquea in igneam triangularitatem, de quibus in secundo libro sermonem faciemus.

Restat modo vt in calce huius primi libri videamus si corpora cęlestia dum agunt in elementa, & mista, & in corpus humanum, quomodo agunt in animam, & voluntatem hominis, & an vim aliquam in his habeant.

Cælum in corpora directe, in virtutes verò organicas indirecte, in alias verò potentias occasionaliter agit. Cap. VII.

CVM hucusq; visum sit, corpora Cælestia tã in vniuersali, quam particulari habere actionem circa hæc inferiora quæcunq; ità vt omnes motus tam extrinseci, quã intrinseci, seu in anima existentes ab ipsis dependeant; modo determinandum estytrum eandem ad omnia, an diuersam ad diuersa habeant habitudinem, & respectum: quapropter dicendum existimamus cũ sanctissimo Doctore D. Thoma *1. parte quæst.* 115. *art.* 4. quod ex his inferioribus, quæ subdita Cæli v rtutibus sunt, alia directe, alia verò indirecte, & per accidens caussalitati eius subijciũtur, & alia tamen occasionaliter ab ipso mouentur: ita vt talis ab ipso Doctore insinuetur distinctio. Corpora Cælestia agere aliquid contingit dupliciter scilicet caussaliter, & occasionaliter, & vterq; modus subdistinguitur; nam caussalitatem habere super aliquid contingit bifariam .s. directe, seu per se, & indirecte, seu per accidens, id est per aliud. Ad intelligentiam horum terminorum sciendũ est, (docet Reuerendiss. Ferrariensis 3. *contra gent. cap.* 84. *in principio*) quod aliquid dicitur in alium agere directe quando actio eius, & influxus ad ipsum tanquam ad passum pertingit aliquid in ipso caussando, quo pacto ignis agit in aquam dum calefacit illam; indirecte autem aliquid dicitur agere, quando eius actio non pertingit ad ipsum caussando aliquid in eo, sed pertingit ad aliquid aliud, ex quo in ipso aliquid resultat, quo pacto ignis agit in homines, inter quos ex acceptione aquæ calidæ discordia est exorta.

Primo igitur modo Cæli habent caussalitatem super corpora, vti satis de

ſ[illegible]is dilucide viſum eſt: ſecundo verò modo ſuper vires animæ alligatas corporis organis. Circa has non agit Cœlum directe,& per ſe, quia inquit Caietanus 1. *part. queſt.* 115. *art.* 4. vires animæ affixæ organis,& aliæ formę naturales ſunt depreſſæ in materia corporali, anima verò eleuatur ſupra totum ordinem corporum, D. Thom: 1. *part. queſt.* 3. *art.* 1. *in corpore,* & Caietan. *ibi,* viuens enim eſt nobilius non viuente, vt pote excedens naturam, quæ eſt principium formale cuiuſq; corporis actiui vt ſic; cuius ſignum eſt quod natura non niſi ad vnum mouet, anima autem etiam vegetatiua mouet ad omnes differentias, vt patet in augumento planetarum, & propter hanc differentiam corpora cæleſtia in quãtum ſunt corporalia agentia(de eis enim nunc hic eſt ſermo) dicuntur agere directe,&per ſe in corpora id eſt compoſita ex materia,& forma, quæ nõ excedit naturæ rationem:in vires autem animæ organicas dicũtur agere per accidens, id eſt per corpus,quia .ſ. ſunt altioris ordinis, quam formæ corporeę; quapropter D. Thomas 3. *de anima lectione* 4. inquiebat quod potentiæ ſenſitiuæ, quæ ſecundum ſe ſpiritualitatem quandam habẽt,vt eorũ operatio atteſtatur,ſunt tamẽ corporeę,quia ſunt virtutes in corporeis organis, & ob id immutari poſsũt ex actione corporũ Cęleſtiũ per accidens tamẽ,quia neq; anima,neq; animę virtus mouetur niſi per accidens moto ſcilicet corpore: adeo quod ſi agit Cælum in illas per aliud agit, id eſt per corpus, quod eſt earum organum,& hoc manifęſtatur ex eo,quia impediuntur ſecũdum impedimentum organorum, vt patet in viſu, oculus .n. turbatus non bene videt,& propter hoc contingit,quod ex impreſsione corporis cęleſtis variatur fantaſia,& appetitus ſenſitiuus; vnde & animalia,quæ ſolo appetitu ſenſitiuo aguntur, in ſuis motibus vt plurimum inſequuntur impreſsionem corporum Cæleſtium. Præterea ſentire eſt quoddam pati,& alterari ex Ariſt. 2. *de anima tex.* 51. ergo à Cæli motu dependens:ſed non eſt ſentire niſi per potentiam vt affixam organo, ergo niſi per organum a Cęlo dependens eſt.

Occaſionaliter quoq; mouere aliquid cõtingit dupliciter, vno modo neceſsitando,quo pacto Cælum pertingit ad intellectum, alio vero modo inclinando tantum,& ſic pertingit ad voluntatem; pro cuius euidentia ſciendum eſt ex doctrina D. Thomę 1. *ſentent. diſt.* 46 *art.* 2. *ad* 3., & 4. *ſentent. diſt.* 38. *queſt.* 2. *art.* 1. *ad* 4., & 2. 2. *queſt.* 43. *art.* 1. *ad* 3. quod occaſio dupliciter poteſt accipi aliquando quidẽ pro cauſſa inſufficienti,& imperfecta ſed per ſe, Ferrariens. 3. *contra gent. cap.* 85. *in* 2. *concluſ.*, aliquando verò pro cauſſa per accidens, quę aliquid quidem operatur, ſed illum effectum cuius dicitur occaſio

tur occasio vel caussa per accidens, eius operatio non attingit, sed tantum ad aliquid, cui aliquo modo coniungitur effectus, cuius dicitur caussa discordiæ enascentis ex ipsa.

Dicimus igitur, quod Cœlum occasionaliter agit in intellectum, & voluntatem id est occasio actionum intellectus, & voluntatis, non primo modo, quia actio Cœli non attingit ipsius voluntatis, & intellectus operationem, sed tãtum secundo modo, quia attingit aliquam corporalem dispositionem, cui coniungitur operatio vtriusq;, vti sumus dicturi.

Cælum nec directe, & per se, nec indirecte, sed occasionaliter in animam intellectiuam, in voluntatem inclinando agit. Cap. VIII.

CIRCA operationes animæ intellectiuæ quinq; dicenda à nobis erũt, vt aliquo modo exactam habeamus cognitionem Cęlestis corporis actionis in ipsam. Dicimus primo corpora illa superiora directe, ac per se non agere in animam intellectiuam, quod tali ratione constat.

Nullum corpus directe imprimere potest aliquid in rem incorpoream D. Thomas 3. *de anima lect.* 4., 2. 2. *quest.* 95. *art.* 5. *in corpore, & 3. contra gent. cap.* 84. *arg.* 3.: sed anima intellectiua est res incorporea *ex* 3. *de anima tex.* 4. *&* 5., ergo Cęlum in ipsam aliquid directe imprimere non potest.

Pręterea, quod recipit impressionem corporis oportet moueri, quia nihil caussatur à corpore nisi inquantum dum mouetur mouet: sed nihil mouetur nisi corpus 6. *physic. tex.* 32., ergo incorporeũ ens impressioni corporis subijci non potest.

Postremo cum agens perpetuo debeat esse nobilius patiente, sequeretur ipsum corpus non corpore, at spiritu esse nobilius.

Ne dum corpora Cæle stia directe, ac per se in animam intellectiuam agere non valent, verumetiam nec indirecte, atq; per accidens, quod quidem fit clarum tali medio.

Si Cælum indirecte ageret in intellectiuam partem, intellectiua pars esset alicuius corporis actus, sed hoc falsissimum est, probat Aristoteles 3. *de anima tex.* 6., ergo indirecte in ipsam non potest agere Cœlum.

Maior clara est ex eo, quod potentiæ sensitiuę subduntur corporis Cęlestis impressioni indirecte, & quia inquã affixę sunt partibus corporeis: si igitur, & intellectiua illi subderetur indirecte, & ipsa corporeo organo esse affixa deberet: vnde nec à sensu distingueretur, quemadmodum

admodum dicebat Empedocles, Homerus, & quamplurimi, quorum omnium positionem, & radicem seu fundaméta opinionis tam erroneæ arguit perquam efficaciter Aristoteles 2. *de anima tex.* 150. *&* 151. : & licet corpora Cælestia non agant in intellectum, & voluntatem caussalitate, occasionaliter tamen in vtrumq; operantur, quem modum agendi innuit sanctissimus Doctor 1. *parte quest.* 115. *art.* 4 *in corpore*, *&* 3. *de anima lect.* 4. per hæc verba. Indirecte tamen pertingere possunt ad intellectum, & voluntaté: hoc idem dicit 3. *contra gent. cap.* 84. *prope finem*, vbi habet aliquid tamen ad hoc operantur indirecte. Caietanus Illustriss. *super* 1. *parte loco citato* explicauit hæc verba inquiens, nó dicit D. Thomas, quod indirecte, & per accidens caussánt, aut imprimunt vt in partem sensitiuam, sed pertingunt, & operantur, seu pertingere, & operari possunt, aperiens ex hoc non de caussalitate, quæ impressio quędam est, sed de occasione, quę propositioné sonat absq; impressione se loqui, ità vt agere occasionaliter est proponere obiectum, quod quidé habent corpora cælestia respectu intellectus, & voluntatis, vti aperuit Sanctiss. Doctor *locis citatis* in illis verbis. Indirectè verò impressio corporũ cælestiũ pertingere potest ad intellectũ, & voluntaté, prout intellectus, & volũtas cóiungũtur in sua operatione virtutibus sensitiuis. Hęc ille.

Quapropter cum operatio specificetur ab obiecto, & obiectum se ipsis per partem sensitiuam, in quam agit Cælum, venentur; hinc est quod Cælum occasionaliter in ipsas operari potest; vnde ex hoc patet, sicut docet Ferrariensis 3. *contra gent. cap.* 39. quod illa virtus agit occasionaliter in aliquid quando non est caussa per se illius, atq; mediata, neq; immediata, sed est tantũ caussa alicuius, quod est illius alterius occasio propinqua, vel remota, & arguamus modo sic.

Cælum occasionaliter agit in illud, quod in sui operatione coniungitur illi, cuius est caussa aliquo modo: Sed intellectus, & voluntas coniunguntur in sui operatione virtutibus organicis, in quas agit indirectè Cælum; Ergo &c.

Minor à Sanctissimo Doctore aperitur *omnibus locis superius citatis* quia inquam lęso organo fantasiæ impeditur intellectus à sua operatione, vt patet in phreneticis, & lethargicis; & ex appetitu sensitiuo voluntas inclinatur ad volendum, vel nolendum aliquid.

Hæc eadé positio a Sanctissimis Doctoribus Augustino, & Damasceno confirmatur, Augustinus *de Ciuitate Dei tom.* 5. *cap.* 6., *&* 7. *vltra medium* dicit, quod non vsquequaq; absurde dici potest ad Cęlos corporum differentias afflatus quosdam valere sydereos; Damascenus *in* 2. *libro orthod. fidei cap.* 7. inquit, quod alij, & alij planetæ

necta diuersas cōplexiones, & habitus in nobis constituunt, ideo concludit sanctus Doctor, indirecte corpora Cælestia ad bonitatem intelligentiæ operantur.

Quod ad actionem Cœli in intellectum attinet, & quomodo à Cœlo necessitetur; habemus propositionem à Sancto Doctore, & eius commentatore Caietano Illustrissimo *prima parte Theologiæ quæst. 115. art. 4.* tali pacto. Non intelligas, inquit Caietanus, quod corpora illa agant in intellectum necessitando ipsum quoad exercitium actus, falsum est enim quod intellectus necessitetur à sensu, cum liber sit vsus intellectus, sed ly necessitando accipimus tantum quoad rectitudinem actus, rectitudo enim actus intellectus est naturalis, non enim recte intelligimus, quia volumus; sed quia agentia ad intellectionem sunt bene disposita secundum naturam, fantasmata scilicet, & intellectus agens, &c. & propterea actus intellectus necessario sequitur dispositionem sensuum, vt pote variantium obiectum suum, ad quod habet naturalem non liberam rectitudinem; in hoc igitur distinguitur à voluntate, cuius actus rectitudo est libera; ideò enim rectè volumus, quia volumus sic putà iustè, temperatè, &c. & ob id actus voluntatis non necessario sequitur dispositionem partis sensitiuæ vtpotè libere.

Hoc nos sic intelligimus (inquit Reuerendissimus Ferrariens. *3. contra gent. cap. 85. in calce comm.*) D. Thomas *2. de anima lect. 12. tex. 60.* quod cum cognitio fiat secundum quod cognitum recipitur in cognoscente per actionem ipsius cogniti suam similitudinem in ipso caussantis, & obiectum intellectus sit fantasma in viribus inferioribus sensitiuis receptum; necesse est ad hoc quod intellectus intelligat, vt moueatur ab imaginatiua, & alijs viribus sensitiuis, à quibus sicut ab obiecto naturaliter mouetur: huiusmodi etiam virium sensitiuarum operatio necessario exigitur ad operationem actualem intellectionem, quia nihil sine phantasia intelligit anima *primo, & tertio libro de anima tex. 30.* Ideò facta aliqua immutatione in viribus sensitiuis per impressionem corporum Cælestium, necessario intellectus aliquam in sua operatione variationem accipit, sicut variata caussa necesse est effectum variari. Volitio autem fit nō secundum quod volitum recipitur in voluntate, sed secundum quod voluntas in volitum inclinatur, ità docet D. Thomas *prima parte quæst. 27. art. 4. in corpore* secundum quem ordinem voluntas cōparatur ad appetitum sensitiuum, sicut mouens ad motum vt dicitur ab Aristotele *3. de anima tex. 50.* ideò non est necesse quod facta immutatione appetitus sensitiui per corporum cælestium impres-

sionem in actu voluntatis variatio aut mutatio fiat, sed semper in sua libertate manent vt secundum inclinationem appetitus sensitiui eligat, aut modo contrario; sed sub forma supradicta redigamus.

Cælum agit in illud necessitando, cuius actus rectitudo sequitur dispositionem sensuum; sed intellectus est talis vt eius actus rectitudo necessario sequatur dispositionem sensuum, ergo, &c.

Minor est nota ex D. Thoma *3. contra gent. cap. 84. prope finem*
„ vbi habet hæc verba, Propter hoc bonitas dispositionis corporis
„ humani facit aptum ad bene intelligendum in quantum ex hac
„ prædictæ vires scilicet sensitiuæ fortiores existunt, vnde dum *in 2. de anima text. 94.* quod molles carne aptos mente videmus, & Albert. Magn. *2. de anima tract. 3. cap. primo*, & Ferrariensis *3. de anima quæst. 3.* docent quod homines illi, qui bonitatem phantasiæ sortiti sunt, multum proficere valent in mathematicis scientijs, atque in prophetia.

Concludit tandem D. Thomas *3. contra gent. cap. 84. in fine* to-
„ tam hanc veritatem hisce formalibus verbis. Et ideò indirectè
„ corpora cælestia ad bonitatem intellectus operantur, & per hunc
„ modum potest verificari quod Ptholomæus in centiloquijs dicit,
„ cum fuerit Mercurius in natiuitate alicuius in aliqua domorum
„ Saturni, & ipse fortis in esse suo, dat bonitatem intelligentiæ
„ medullitus in rebus.

Restat modò vt ad vltimam capitis partem deueniamus an Cælũ agat in voluntatem inclinando illam, quam quidem positionem tali pacto manifestare possumus.

Cælum agit inclinatiuè tantum in illud, cuius actus rectitudo non necessario sed inclinatiuè sequitur dispositionem partis sensitiuæ: sed voluntas est talis, quod illius actus rectitudo inclinatiue tantum sequitur dispositionem sensuum, ergo &c.

Minorem aperit D. Thomas *prima parte quæst. 115. art. 4. in cor-*
„ *pore* his verbis. Voluntas non ex necessitate sequitur inclinatio-
„ nem appetitus inferioris, licet enim passiones, quæ sunt in irasci-
„ bili, & concupiscibili habeat quandam vim ad inclinandam vo-
„ luntatem (& quod occasione sensitiuæ partis Cælum habet in-
„ clinare voluntatem ad actum) tamen in potestate voluntatis re-
„ manet sequi passiones, & eas refutare (& quod non necessario agant ad illam) eadem minor propositio manifestatur a S. Doctore *2. 2. quæst. 95. art. 5. in corpore* per hæc formalia verba: Possunt ta-
„ men (scilicet corpora cælestia) dispositiue inclinare voluntatem
„ in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens

in vires

,, in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, qui
,, inclinant ad humanos actus (& quod inclinatiuè agunt) quia ta-
,, men vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per Philosophum
,, *3. de anima, & primo ethicorum*, nulla necessitas ex hoc volun-
,, tati imponitur, sed contra inclinationem cælestium corporum
,, homo potest per rationem operari (& quod non necessario per-
tingunt ad ipsum) idem docet expresse *3. contra gent. cap. 85 pro-
pe finem.* Ex his deducimus hoc corollarium cum S. Doctore *prima
parte quæst.* 115. *art. 4.* quod cælestium corporum impressio, secun
dum quam immutari possunt vires inferiores, minus pertingit ad
voluntatem quam ad intellectum.

*Entia mathematica infallibiliter ac semper, physica verò vt in plu-
ribus e Cælo eueniunt, at fortuita naturalia Cæli cau-
salitati subduntur, & voluntaria humanaq; vt
electiones, & actiones dependent à Cæ-
lo. Cap. IX.*

NON omnia eodem modo (veluti in primo cap. dictum est) caussalitati cælestis corporis subduntur, aliqua enim necessario ac semper, aliqua vt in pluribus, quædam vero possibiliter, seù cõtingenter ac variabiliter ab ipso procedunt. Ad primum effectuũ genus reducuntur aspectus, situs, motus, &c. corporum cælestium, hæc etiam omnia dependent à Cęlo, vti docet *S*anctissimus Doctor 2. 2. *quæst. 95. art. 5. in corpore* & audiamus verba illius.

,, Disponuntur à Diuina prouidentia motus, & situs cælestiũ corporum, vt semper, & eodem modo proueniant; hoc etiam docuit Caietanus Illustrissimus *primo posteriorum cap. 4.* vbi dicebat quod huiusmodi passiones corporibus cælestibus insunt semper sempiternitate tali scilicet regulari, hoc est, eo tempore, quo natæ sunt inesse infallibiliter insunt: subiunxit verò *capit. 9.* circa quartam conclusionem quod passiones huiusmodi considerare in ordine ad subiecta sic disposita, vt Eclypsis ad Lunam in tali situ putà oppositionis sub Eclyptica ad Solem insunt semper sempiternitate simplici, quoniam est impossibile subiectis sic acceptis abesse talia, non potest siquidem fieri, vt Lunæ in tali situ, & aspectu respectu Solis, & Terræ, &c. Eclypsis non insit.

Ad secundum verò genus effectuum reducuntur omnes illi, qui per physicam transmutationem producuntur in his inferioribus, vt siccitates, pluuię, Cometę, productio fructuũ, animalia, & huiusmo-

di, quæ infallibiliter sempiternitate tali scilicet vt in pluribus eueniunt, eo enim tempore, quo nata sunt esse, sunt tantum simpliciter vt astrorum passiones, sed vt in pluribus, quæ tamen omnia si in ordine ad subiecta sic disposita considerentur, vt siccitas ad dies caniculares sublatis extraneis accidentibus, inducunt sempiternitatem simpliciter ità vt non euenire non possint.

Ad tertium tamen genus reduci habent omnes effectus per accidens, & contingentes siue in rebus naturalibus, quæ omnia licet nõ de necessitate caussantur à corporibus cælestibus propter naturam potentiæ contradictionis inuentam in istis inferioribus, quæ sunt materia actionum Cælestium, habent tamen & hæc ab ipsis dependere variabiliter scilicet, & contingenter.

Fortuita, & casualia entia in rebus naturalibus sunt, quæ per accidens iunguntur vel secundum locum, vt locus sepulcri vel fossionis, & locus thesauri cum quis fodiendo terram inuenit ibi thesaurum: seu secundum tempus, vt tempus tonitrui, & tempus deambulationis animalis puta bouis, vt cum boue deambulante tonat, sicut etiam cum lapide cadente fit terremotus. Hæc enim à caussalitate corporum cælestium subtrahuntur, & quod non vnum sint sed simpliciter multa, quia non habent aliquem ordinem ad inuicem, nec semper, seu in maiori parte coniunguntur, & ob id à caussa agente per naturam, quæ ad vnum perpetuo determinata est, non fiunt, quę & per accidens entia sunt, & ob id caussam præcipue naturalem, cuiusmodi est virtus corporis cælestis, non habent; referamus verba Sanctissimi Doctoris *ex 2. 2. quæst. 95. art. 5. in corpore* ens per accidens non habet caussam, vt probatur ab Aristotele *lib. 6. primæ philosophiæ tex.* 4. 5. 6. & præcipue naturalem cuiusmodi est virtus cælestium corporum, quia quod per accidens fit, neque est ens proprie, neque vnum; sicut quod lapide cadente fiat terremotus, vel quod homine fodiente sepulcrum inueniatur thesaurus. Hæc enim non sunt simpliciter vnum sed simpliciter multa: Idem habet expresse D. Thomas *3. contra gent. cap. 92. circa finem.*

Hæc autem fortuita naturalia cælestibus caussis subesse aliquo modo non est negandum, pro cuius asserti intelligentia distinguendum esse duxit; fortuita, & casualia in naturalibus entibus possunt dupliciter considerari primo vt sic, hoc est in quantum sunt entia per accidens, & tunc, cum secundum ambas partes suas simul sumptas cõsiderantur, vt cum hoc totum accipio locum sepulcri, & locum thesauri; secundo modo secũdum ambas partes seorsum, & precise, puta locum sepulchri secundum se, & locũ thesauri secundũ se, & vtroq;

modo

modo consi..ratur: hęc ipsa ad diuersas possunt referri caussas rationales .s. & naturales adeo, quod si ad reales referantur etiam vt primo modo sumũtur caussam per se habent, quæ est diuina prouidentia, cum nihil ei comparatum præter illius intentionem fiat, quod vberrime docet D. Thomas 3. *contra gent. cap.* 92. :si verò ad naturales caussas comparetur vt sunt omnia corpora, tunc dicimus, quod hæc fortuita secundo modo accepta habẽt & per se caussas; quapropter, quod iste sit locus thesauri, ab aliqua caussa est, & quod iste sit locus sepulcri est ab aliqua caussa: quod bos deambulet hora tertia, aliquam habet caussam: at si primo modo accepta referãtur ad easdem naturales caussas, tunc erit determinandum non posse habere per sse vnam caussam, eo quod, vti dictum est, hoc pacto non vnum simpliciter, sed multa simpliciter sunt, & quælibet caussa naturalis ad vnum determinata est. Hoc totũ profitetur D. Thomas 1. *parte quæst.* 115. *art.* 6. *in corpore* his verbis formalibus. Cum aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aeris generetur, & deorsum cadat, habet caussam aliquam virtutẽ cælestem, & similiter etiam, quod in superficie terræ sit aliqua materia cõbustibilis, potest reduci in aliquod cęleste principiũ; sed quod ignis cadens huic materię occurrat, & comburat eam, non habet caussam vnam cęleste corpus, sed est per accidens. Hęc ille. Notanter dixit: nõ habet caussam vnã, quoniam illud totũ (animaduertit Caietan. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *prope med. comm.*) habere multas caussas naturales concurrentes simul per se quandoq; non inconuenit, putà Martem, & Saturnum concurrentes simul in tali signo, & aspectu &c. & hoc idem docet S. Doctor 3. *contra gent. cap.* 92. huiusmodi verbis, potest esse, quod ex inclinatione cælesti inclinatur aliquis ad eligẽdum aliquid, cui coniungatur per accidens, aliquod commodum, & ex alia inclinatione aliud, & ex tertia tertium non autem ita, quod ex vna inclinatione inclinetur ad omnia. Hæc ille, quibus verbis subiungit Caietanus *in comm. art.* 5. *quæst.* 94. 2. 2. vnde habens, quod non minus, sed maius est iudicium de concursu caussarũ cęlestium caussantium inclinationes, & quod potest simul concurrere inclinatio ad inueniendum thesaurum cum inclinatione ad fodiẽdum puteum cum non sit maior ratio de concursu harum, quam aliarum. Hęc ille; Quapropter si plura voluntaria entia caussas naturales habent plures, ergo etiam fortuita entia in naturalibus secundum totum accepta esse non ab vna caussa naturali, à pluribus tamen caussis naturalibus posse venire dicendum erit.

Nodo circa dependentiam entium, quæ voluntaria, & humana

ſunt à corpore cæleſti. Sanctiſs. Doctor docet *3. contra gent. cap. 92*
Primo, quod hæc entia illius virtuti ſubduntur, habent .n. in princi-
„ pio illius cap. hæc formalia verba Quamuis autem Deus ſolus di-
„ recte ad electionem hominis operetur, tamẽ actio corporis cæle-
„ ſtis aliquid operatur ad electionem hominis per modũ diſponen-
„ tis in quantum corporales cæleſtium corporum impreſſiones in
„ corpora noſtra diſponunt ad aliquas electiones. Hæc ibi; idem
„ expreſſe docuit *cap. 85. eiuſdem lib. prope finem* dicens, ſciendũ
„ tamen eſt, quod licet corpora cæleſtia non ſint directe cauſſa ele-
„ ctionum noſtrarum quaſi directe in volũtates noſtras imprimen-
„ tia, indirecte tamen ex his aliqua occaſio noſtris electionibus præ-
ſtatur &c. Caietanus quoq; *2. 2. queſt. 95. art. 5.* idem hiſce verbis
aſſeruit. Simili quoq; modo ſortimur à Cælo inclinationes ad eli-
„ gendum multa, quibus inclinationibus fit quandoq; vt ille incli-
„ netur ad eligendum caſta, alter venerea, alter contra naturam, al-
ter religioſa, alter ambitioſa &c. ex quibus omnibus licet cuicumque
concludere ſydera, & aſtra ad noſtras electiones operari, & ob id vo-
luntaria entia aliquo modo cauſſalitati eorum ſubdi.

Cælum indirecte, & occaſionaliter, & per modum alicuius paſſionis ad humanas electiones operatur. Cap. X.

SECVNDVM aſſertum circa hæc voluntaria entia ex D. Thoma deſumptũ eſt, quod corpora illa cæleſtia ad electiones humanas operantur ſecundum quod habent impreſſionem ſuper corpora, in quantum .ſ. ex corporibus cæleſtibus aliqua occaſio per diſpoſitiones naturales cauſſatas, & relictas in corpore noſtro electionibus noſtris præſtatur ad bonum, vel malum, & ob id indirecte, & occaſionaliter agunt aſtra circa huiuſmodi entia; audiamus verba D. Thomæ *ex cap. 85. 3. libri contra gent. prope finem*, indirecte tamen ex his (ſupple corporibus cęleſtibus) aliqua occaſio noſtris electionibus præſtatur, ſecundum quod habent impreſſionem ſuper corpora: audiamus etiam verba *ex cap. 92. prope principium* impreſſiones corporum cæleſtium in corpore noſtro cauſſant in nobis naturales cor-
„ porũ diſpoſitiones, & ideo ex diſpoſitione relicta ex corpore cæ-
„ leſti in corpore noſtro dicitur aliquis non ſolum bene fortunatus
aut male, ſed etiam bene natus, aut male. Hęc ille; ſenſum horum vltimo verborum aperuit Ferrarienſis inquiens, quod aliquis dicitur bene fortunatus quando ad ampliora bona ex iſtarum cauſſarum diſpoſitione peruenit, quã excogitauerit; dicitur verò male fortunatus

quando

quando ab ijs, quæ prudenter disponit, deficit, & ad inopinata mala deuenit.

Hęc duo hucusq; dicta expresse docuit Caietanus *super* 2. 2. *quest.*
„ 95. *art.* 5. his verbis;habent enim electiones,& opera nostra pro
„ caussis quandoq; non solam,aut puram voluntatem,sed volunta-
„ tem motam à corporibus, in quibus sunt istæ inclinationes à na-
„ tura prouenientes, & propterea quamuis opera nostra vt sunt à
„ voluntate non subsint Cęlo, vt tamen sunt à corporibus subsunt
„ Cælo,sicut subsunt passionibus nostris.

Vltimum assertum ex doctrina D. Thomæ desumptum tale est, quod nempe omnis dispositio ad electionem ex corporibus cælestibus est per modum alicuius passionis amoris,vel iræ, vel timoris,vel spei,vel huiusmodi, hoc est (inquit Caietanus) per modum,quo illa tristitia,amor,odium &c. incitat volontatem,vnde sanctiss. Doctor hanc veritatem docet *cap.* 92. his verbis,omnis dispositio ad electionem,quę est ex corporibus cælestibus,est per modum alicuius passionis,sicut cum aliquis inducitur ad aliquid eligendum per odium,vel amorem,vel iram,vel aliquid huiusmodi. Hęc ille Caietanus 2. 2. *quest.* 95. *art.* 5. habet. Ita quod Sortes verbi gratia inclinatus ad summersionem in aquis stimulatur per modum passionis ad eundum iuxta aquas,vel in aquas:quare vero per modum passionis astra operantur ad electiones humanas,docuit *S.* Doctor *loco citato*, quia inquam, vt dictum est,corpora cælestia non disponunt ad electionem nisi in quantũ imprimunt in corpora nostra,ex quibus incitatur homo ad eligendum per modũ,quo passiones inducunt ad electionem. Sed audiamus verba formalia *cap.* 92. Nam cum corpus cęleste non
„ disponat ad electionem nisi inquantum imprimit in corpora no-
„ stra, ex quibus homo incitatur ad eligendũ per modum,quo pas-
„ siones inducunt ad electionem &c.

Ex his igitur deducendum est, quod corpora cælestia agendo in corpora nostra sunt nobis caussa electionis,& hôc tripliciter ex doctrina D. Thomę *lib.* 3. *contra gent. cap.* 85. & 92. videlicet primo modo caussando in nobis aliquas dispositiones, ex quibus sumus ad aliquas passiones habiles sicut biliosi, seu colerici sunt proni ad irã: secundo modo caussando aliquam dispositionem,ex qua aliquis motus passionis insurgit, sicut ex nimia frigiditate corpori adueniente insurgit appetitus ignis,& ex nimia caliditate appetitus refugit calida;tertio caussando aliquam dispositionem, quæ est occasio alicuius electionis sicut cum ęgrotamus, eligimus medicinam.

Quia ergo ex corporibus cęlestibus non instigatur homo ad ali-
quid

quid eligendum nisi altero istorum modorum, ideò bene dixit D. Thomas quod dispositio ad electionem ex corporibus cælestibus est per modum passionis in quantum videlicet non inclinat ad eligendum nisi aliquam passionem excitando, ex qua natus est appetitus intellectiuus ad aliquid trahi, & inclinari: inclinatur autem appetitus intellectiuus à passione, vt habetur *prima 2. quæst. 9. art. 2., & quæst. 10. art. 3.* ex ea parte, qua mouetur ab obiecto in quantū homo aliqualiter dispositus per passionem aliquid indicat esse conueniēs, & bonum, quod extra passionem existens non iudicaret, & ideo per hunc etiam modum disp sitio corporalis ex corporibus cęlestibus proueniens ad elect onem inclinat in quantum est origo, & fundamentum, ex quo prouenit illud iudicium, quo aliquid bonum, & conueniens iudicatur, & ideo dicitur per modum passionis inclinare

Reuerendiss. Ferrariensis *3. contra gent. cap. 85. pagina 335. columna 3.* animaduertit circa tertium modum, quo illa corpora electionum nostrarum sunt caussa, quod cum dicimus, ex impressione corporum cęlestium nos efficimur ad aliquas passiones habiles, & inclinati, non per hoc mores hominum sunt sufficienter ab impressione corporum cęlestium, vt scilicet ab eorum impressione aliqui efficiantur temperati aliqui verò intemperati, aliqui iusti, aliqui verò iniusti, cum mores humani ex voluntate dependeant, in quam ostensum est corpora cęlestia directe nō agere, sed hoc tantum vult, quod ex impressione corporum cęlestium aliqui ad aliquas passiones inclinationem habent, à quibus aliqui hominum mores occasionantur ratione impetus passionis non regulatę: ex hoc enim, quod aliqui inclinantur ad delectationem appetituum, efficiūtur sua voluntate intemperati, & ex hoc quod aliqui inclinātur ad iram, efficiuntur iracundi, & crudeles, veruntamen ex impressionibus cęlestibus fiunt inclinationes ad huiusmodi passiones, potest tamen homo & ipsarū passionum impetum moderari, & contra ipsas operari, & assuescere.

Homo non eligit semper id, ad quod cæleste corpus inclinat, at verum est, quod sortitur à Cælo efficaciam ad exequendum id, quod eligit. Cap. XI.

QVARTVM assertum ex doctrina D. Thomę decerptum est, quod homo, licet per corpus cęleste inclinetur ad aliquid operari, & eligere, non tamen semper eligit id, ad quod inclinatur, ita vt illę occasiones non sint caussa necessaria nostrę electionis, quod inquam dictum ex prędictis aperte deducitur, & à Sancto

Doctore

Doctore *cap. 92. lib. 3. contra gent.* tali ratione probatur.

Dispositio, quæ est ex corporis qualitate, non inducit necessitatem ad eligēdum: sed operatio corporis cælestis ad electiones nostras est solum per dispositiones naturales in corpore nostro, ergo &c. Idem Doctor *cap. 85. eiusdem libri versus finem* eādem positionem cōfirmat tali medio. Viuens arte, & ratione potest resistere passionibus, & eis non obedire; sed homo viuit arte, & ratione, ergo &c.

Si igitur potest homo non obedire, necessario non mouetur ad electionem à corporibus cælestibus, quæ illum per modum passionis excitant. Maior est Ptholomæi *in Centiloquijs nempe propos. 5. lib. 1. Apotheles. tex. 26.* asserētis, quod anima sapiens dominatur Astris in quantum .s. (inquit Caietanus) dominatur passionibus suis, quæ habent obedire rationi, sicut docemur ab Aristotele 3. *de anima*, & 1. *ethicorum*; ex hoc duo deducit D. Thomas *cap.* 85.

Primo, quod scilicet plures sunt homines, qui impetus tales naturales sequuntur, pauciores autem, id est, soli sapientes, qui occasiones male agendi, & impetus naturales non sequuntur, hoc idem docet 1. *part. quæst. 115. art. 3. ad tertium, & 2. 2. quæst. 95. art. 5. ad* 2.

Secundo, quod impressio corporum cælestium in pluribus sortitur effectum, quia plures sunt homines, qui resistunt inclinationi, quæ est in corpore.

Caietanus verò circa hæc duo monitum tradit christianum 2. 2. *quæst. 95. art. 5.* inquiens, videat ergo vir sapiens, & cum instigatur ad malum, aut periculosum non sectetur stimulos suos, sicut nec passiones sequi debet: cum autem ad bona, si ratio non obstet, sectetur illa etiam si nesciat propter quid quoniam ad bona agitur quodammodo à superioribus caussis.

Quintum, & vltimum assertū ex doctrina D. Thomæ *cap. 92. lib. 3. contra gent.* desumptum est tale, quod homo à corporibus cælestibus non solum adiuuatur circa electiones modis prædictis, verumetiam ab ipsismet consequitur robur, & efficaciam ad exequendum id, quod eligit, quæ quidē efficacia in tantum dicitur à Cælo, in quantum in corpore sita est, ita vt Medicus non solum sortitur à Cælo inclinationem ed eligendam Medicinam ægroto conuenientem, sicut omnes adiuuantur ad eligendum vtilia, sed etiam virtutem, qua efficaciter exequitur ad id, quod eligit, ac sanat: hoc verò probatur à Sancto Doctore tali modo, & ratione.

Inanimata prȩter eas virtutes, quæ qualitates actiuas, & passiuas elementorum consequūtur, sortiuntur & à cælestibus corporibus vires, & efficacias, vt quod magnes trahat ferrum, ergo & homo, qui

 nobilio-

nobilioris est conditionis, adeptus est à corporibus illis tales efficacias, & virtutes ad exequendas operationes suas : D. Thomæ verba hoc expresse docent. Hoc .n. secundum exequutionem verò (supple adiuuatur) in quantum homo consequitur ex aliqua superiori caussa robur, & efficaciam ad implendum, quod eligit, quę quidem non solum à Deo, & Angelis esse potest, sed etiam à corporibus cęlestibus, in quantum talis efficacia in corpore sita est.

His verò omnibus hucusq; dictis ex codē Sancto Doctore addēdū esse censeo, quod .s. diuersas si quis sortitur inclinationes, nō omnes simul acceptę ab vna caussa naturali sunt, sed tantum seorsum acceptę, secundum enim vtramq; partem à pluribus caussis per se, & naturalibus possunt fieri, vt si quis inclinetur ad fodiendum sepulcrum ab vna caussa cælesti est, sed quod locus sepulchri sit locus thesauri, non ab eadem caussa cælesti est, virtus .n. (inquit S. Doctor) corporis cælestis non potest per se inclinare ad hoc totum quod iste fodiat sepulchrū, & locū, vbi est thesaurus; sed hoc secundū ab alia cælesti caussa euenit, sicut etiā dictū est de fortuitis, & de casualibus entibus; idem fatendū est de robore, & efficacia, qua homo per virtutem in membris sitā exequitur id, ad quod instigatur per illā inclinationē, vt cum fodit sepulchrū &c. à cælesti sydere est modo prædicto: quod verò huic virtuti exequutiuę cōiungatur inuentio thesauri, nō ab eodem, sed ab alio erit, non enim hæc, quæ in exemplū adduximus vnū simpliciter, sed multa simpliciter, fossio .n. sepulchri ex sua ratione non habet, quod ordinata sit ad locum thesauri; neq; virtus, quæ est in membris ad fodiendum sepulchrum, formaliter est inuentiua thesauri, & per consequens non ordinata ad talem effectum, cum neq; semper neque in maiori parte coniungatur talis euentus.

Animaduertit circa hęc, quę modo diximus, Caietanus 2.2. *quæst.* 95. *art.* 5. quod hæ inclinationes non exeunt in opera nisi per aliquam actionē ordinatam ad cognitum finem, ità quod Sortes verbi grat. inclinatus ad submersionem in aquis, stimulatur per modum passionis ad eundū iuxta aquas, vel in aquas nesciens propter quid ita incitetur; & propter aliquod negocium occurrens nauigat, vel ad aquas vadit ex alio proposito, & sic submergitur, & simile est in alijs, vbi videmus, quod submersio euntis ad tale negocium, ibi est effectus casualis seu fortuitus, & per accidens, & totum hoc non habet vnam, sed duas caussas .s. Cælū, & propositum hominis ad eundum. Quod si in illo homine esset tunc vna alia inclinatio cælestis ad tale negocium ibi tractandum, quale elegit, tunc tale per accidens esset secundum vtranque sui partem à Cælo non necessario, sed inclinatiue; ac

per hoc

per hoc totum hoc s. submersio euntis ad tale negocium esset inclinatiue tamen à Cælo propter concursum inclinationum simul.

Quod de actibus humanis vt in pluribus vera possint prædici sermonem longiorem prætermitto, cũ quisq; legere possit D. Thomã. *1 part. quæst. 115. art 4 ad 3, & 1. 2. quæst. 9. art. 5. ad 3, & 2. 2. quæst. 95. art. 5. ad 2., & 2. sentent. dist. 15. art. 3. ad 4., & dist. 25. art. 2. ad 5., & quæst. de verit. quæst. 5. art. 10. ad 7.*

FINIS PRIMI LIBRI.

IO. FRANCISCI SPINAE

Philosophi, & Medici Ripani.

De Maximis Coniunctionibus Saturni, & Iouis Annorum 1603. & 1702.

LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

OMNIA, *quæ à nobis dicentur in hoc Secundo Libro præcipue ad actionem corporum cælestium pertinentia, nõ alio modo, atque sensu volumus esse intelligenda, quam ex enarratis in Libro Primo assertis à D. Thoma, & alijs clarissimis Doctoribus. Vale.*


De Saturno, & Ioue. Cap. I.



DEBEMVS modo ad particularia deuenire, & ad Saturni, & Iouis coniunctiones, nam cum horum planetarũ tardus sit motus, atq; longissime à terra distent magis imprimunt: & Saturnus cũ sit altissimus errantiũ stellarũ, & proximus stellato orbi, inditio est quod tardissimè omniũ mouetur, & quod cum proximus fuerit alteri Erraticę oculus deprehendit, ipsum esse illa altiorem; minor est aspectu quamuis

alia præter Mercurium, vnde, cum fit superior alijs, à quouis abumbrari poteſt, etiam præter quam à Mercurio.

Eius Sphęra veluti illa Iouis ex quinq; conſtat orbibus particularibus, veluti ſphęra Solis, ſed Soli deficit Epyciclus, extremi duo orbes aliqua in parte dicuntur eccentrici, in aliqua concentrici, eccentrici augem deferentes in quorum medio duo alij orbes conſtituuntur difformes omnino, Eccentrici centrum deferentes in quorũ medio eſt orbis quintus vniformis omnino; Eccentricus deferens Epyciclũ, qui quidẽ ſituatur in medio ipſius, in cuius extremitate ſidus collocatur, veluti in præſenti figura videre poſſumus, in qua orbes duo I, & K repræſentant augis deferentes, qui ſimul motu æquali, & circulari mouentur ab occidente in orientẽ ſupra proprium centrum demonſtratum per punctum A. Mundi.



Centrum ſecumq; deferentes Saturni augem à medio Æquinoctio die naturali tert. 14. quar. 16. quint. 54. ſext. 41. in anno Ægyptiaco min. 1. ſec. 26. tert. 52. quart 53, Iouis verò deferentes augem die naturali tert. 10. quart. 1. quint. 53. ſext. 41., Anno verò

min. 1.,

min. 1., ſec. 1., tert. 1. quart. 31., quę quidem aux diſtat ab Ariete ſtellati orbis iuxta ſignorum ſeriem gr. 48. min 21. : At centrum deferentes ſcilicet G & H mouentur ſimul motu circulari, & regulari iuxta ordinem ſignorum ſupra proprium cētrum C à Planetæ auge, & illi Saturni die naturali min. 4. ſec. 0., tert. 42. quart. 32. quin. 14. ſext. 43., ſept. 57. in anno grad. 24., min. 24. ſec. 18. tert. 46. quart. 8. quint. 53., illi Iouis in die min. 9. ſec. 58. tert. 11. quart. 35. quint. 50. ſext. 33., ſept. 56. in anno ſign. 1. grad. 0. min. 39. ſec. 0., tert. 33. quart. 58., quint. 20. Quo motu mouetur deferens epyciclum, cuius centrum circellum deſcribit circa centrum deferentium ipſum centrũ, cuius ſemidiameter in Saturno sũt part. 285, in Ioue 229., ſed diſtantia centri orbium centrũ deferentium à centro Mundi in Saturno ſunt part. 854., in Ioue 686. Attamen quia hæc, & omnia, quæ requiruntur in Planetarum Theorijs, dicuntur à nobis in quodam noſtro tractatu italico ſermone deſcripto; ideò ſat eſt hoc in loco dicere, quod ſunt

In Saturno		In Ioue	
BE.	10000.	BE.	10000.
AC.	850.	AC.	686.
BC.	285.	BC.	229.
AB.	569.	AB.	457.
AD.	1139.	AD.	915.
AF.	10569.	AE.	10451.
AL.	9431.	AL.	9543.
VE.	1091.	VE.	1906.

Abſoluit igitur Saturnus ſuam periodũ annis 92., inter quos ſunt biſſextiles 7. diebus 155. fere, & ſingulis annis aliquid vltra 12. gradus conficit; & id pro nunc, ex quibus annis Aſtrophili annos Saturni paruos conficiunt; cum maiores conſiderentur ſecundum quantitatem graduũ terminorum, qui contingunt ei pro ſuis terminis ex gradibus duodecim ſignorum, Pontano ita aſſerente *lib. 1. cap. 23. de rebus Cæleſt.* medij dicuntur 43. cũ dimidio vnius, quoniam ipſi conſiderantur ſecundum annos eius maiores cum minoribus aggregatis, qui ſunt 87., cuius medietas eſt 43. cum dimidio, Comm. *lib. de ſept. errat. cap. de Saturno*, Bonat. *tract. 3 cap. 1.*, Abraham *libr. introduc. cap. 4., & lib. rationum cap. 29.*, Alcabit. *different. 2.*, & Hiſpalens. *lib. introduct. cap. 15. & alij.*

Character Saturni eſt talis h quo denotatur, vel ſenex baculo innitens ob qualitatem frigidam & ſiccam, quibus ſenes, quos ſignificat, pręditos eſſe conſtat; vel etiam falx inſtrumentum ruſticum, quo

ſegetes

ſegetes demetuntur ob agriculturam referebant acceptam. Hac de cauſſa ab Antiquis pingebatur ſenex, pallidus, curuus, altera manu falcem geſtans, & Draconem caudam ſibi mordentem, & altera ori paruum filium apponebat, vorebatq; : tegebatur etiam caput galea, & ſuper illa erat amictus. iuxta ſe quatuor habebat filios, e quibus virilia āputabat Iupiter, proiiciebatq; in Mare, e quibus Venus oriebatur, vnde Aphroditę, & Aphrogenia, ſed melius de hac re alibi *tom.* 1. *medicinæ Cæleſtis nempe lib.* 1. *de Hominis procreat. cap.* 7. dum de ſeminis ortu, Natura, viribus, & præſtantia dicebamus.

Senex is nimirum ob motus tarditatem ita fingebatur, & ob caloris inopiam falcem habebat, quia retrogradus Planeta, quod per ſerpentem etiam ſignificabant, vorabat filios, quia pauci viuunt, qui naſcentes habent Saturnum in Horoſcopo dominantem; ſic etiam in octauo menſe nati dum ipſe dominatur, cuius rei exactā notitiam quiſq; legens *in tomo 1. Medicinæ Cæleſtis cap.* 15., 2. *libri de Hominis procreatione* dum de octimeſtri partu, & quare non viuant enarramus; habere poterit. Iuppiter virilia amputat, quia coniunctus temperat malitiam, & de imperio deiicit, quia ſe exaltat in *S*aturni circulo.

Prætecea Haly *part.* 1. *cap.* 4. aſſerebat, quod aſsimilatur melancholiæ, quæ generatur de omnibus humoribus, & nullus de ea, ratio eſt, quia in Cælo omnes planetæ cum eo coniunguntur, & ipſe tamen coniungitur cum nullo. Hac etiam de cauſſa (ex Alchazele) aſsimilatur iudaicę legi, quia eſt de antiquibus, & nulla lex poſitiua reperitur antiquior illa, & omnes aliæ leges, & omnes ſectæ confitentur eam, & ipſa nullam aliam legem confitetur: cum regibus eſt in ſimilitudine regis, quia omnes planetæ mittunt ad eum conſiderationes, naturas, & fortitudines ſuas, immo non habet in ſe lumen, ſed recipit ipſum ab alijs Planetis, præcipue à Sole: ſignificat ſenectutem quoniam eſt vltimus Planetarum frigidus, & ſiccus, ac motu tardus; dicitur dominus Theſaurorum, hoc eſt, ratione loci, ſemper enim Theſaurus ſolet reperiri in locis occultis, obſcuris, & ſubterraneis, vbi Saturnus dominatur: denotat patrem, quia longinguus ab eo, & denotat omne antiquum vetuſtum. Significat præterea res terreas, ipſamq; terram, & quæ ex terra eruuntur, atq; creſcunt, vnde præeſt plantis non quia frigiditas faciat ad plantarum generationem, nihil .n. minus, ſed quia prohibet generationem vermium frigiditate ſua, & ſeminis putredinem, à quibus ſemina corrumpuntur, & infrugifera euadunt ex cōmentat. *lib.* 1. *quadrip. comm.* 30.; Homines pręcipue ſuſpicaces taciturnos propter longitudinem motus habentes

oculos

oculos paruos, nigros, & in terram conuersos ob motus ponderositatem. Sed talis materia tractatur à nobis *lib. de Dignoscennis Hominum vitijs cap. 4. de Inuidis, 5. de Auaris, cap. 7. de timidis, 8. de furibus, & partim cap. 9. de latronibus, cap. 10. de Perfidis cap. 12. de Rusticis, cap. 31. de Hypocritis &c.* significat plumbum propter ponderositatem, & quia est puluereum; ex humani corporis partibus habet aurẽ dextram, vesicam, splenem, ossa, dẽtes, pituitam crudam non naturalem, melancholiam, chartilagines, & ligamenta, & horum membrorum infirmitates, cumq; (veluti dictum est) sit planeta frigidus, omnes morbi frigidi, qui ex defluxu humorum, in primis melancholicorum oriuntur, per eum significantur, vt lepra, scabies, Cancer, Paralysis, colica, & Iliaca passio, tabes, quartana febris, hydrops, Ictericia nigra, auditus grauitas, podagra, catarrhi perniciosi ac pituitosi ad pulmones & pectus fluentes, tussis, dolor dentiũ, & huiusmodi, ex Ptholomæo *lib. 3. quadr. tex. comm.* 53., & à nobis passim *tom. 2. Medicinæ Cœlestis*.

Significat præterea saporem acrem stipticum, linguęq; cõstrictiuum, qualem in immaturis sorbis & piris gustamus, odor est fœtidus, vel ingratus statura longus, quia superior cæteris; subtilis barbæ, quoniam est Lunæ oppositus; facie nigra propter melãcholiam, constricta propter siccitatem, denotat cupidos propter frigiditatem; figuram aspectu valde turpem, & corpore pilosum.

Natura eius est meditari, verborum paucitas, calliditas, mors, solitarium, longę cogitationis, firmus in suo verbo, cum duritia ambulans, & pedem cum alio fricans ex Bonato. *tract. 6. de septima domo cap.* 18. timorosus, & dubitans, & omnino ei deceptio inest fixa: Artificium est omne laboriosũ, & valoris modici, omnesq; operationes vilipensæ, vt lapides incidere, puteos purgare, atq; omne artificium sordidum, denotat mortuos, fletum, sequestrationem, carceres, mutationem, paupertatem, vias longinguas periculis expositas, loca inhabitata, obscura, & cimiteriorum, suaq; annorum pars est decrepita ętas, & vitæ finis; Oriens de parte Mundi, de diebus sabbatum, & ex noctibus illa, quæ diem Mercurij antecedit.

Ex animalibus Elephantes, Cameli, Asini, & omne animal magnum, & turpe; ex auibus Corui, Bubo, &c. sunt præterea terræ serpentes, & fętorem amittentes, vti cimices, pediculi, atq; omne serpens dissipatiuum. Arbores spinosę, & fructu carentes, vt cipressus, vlmus &c. Pannorum siquidem gausapina vulgo sclauina, & pannus laneus, tapetum omnisq; pannus densus, ex lapidibus ponderosiores, & nigri; dominatur pręterea, & habet ferrũ eruginosum; sed quęq;

Herbæ,

Herbę, Arbores, Lapides, & Metalla à tutelaribus Astris adiuuentur passim dicuntur à nobis *tom. 3. Medicinæ Cælestis*.

Sed modo ad Saturnum, qui non obedit alicui planetarũ, nec regitur ab illorum aliquo nisi à Sole, à quo comburitur, retropellitur, & fit Orientalis, & Occidentalis appropinquãdo ad eum, & elongando se ab eo; participat cum Marte in infortunio, & non in alio, & est ei cõtrarius, & inimicus natura, & proprietate, quia refrigerat eum, & propter frigiditatem suæ naturæ caliditatem, ardoremq; illius extinguit, abhorret Iouem propter eius communitatem, est inimicus Soli, quia eius domus Aquarius opponitur Leoni domi Solis, & tenebrositas Saturni est diuersa, & contraria lumini eius, frigiditasq; diuersa, atq; contraria illius calori; Hac de caussa Aries exaltatio Solis est Saturni casus, & e contra Libra exaltatio Saturni, Solis casus; Nam appropinquãte Sole ad Arietis initiũ arbores frondescunt, & florent, herbæ oriuntur, & animalia turgent in Venerem, & hominum natura robustior euadit, & exhilaratur, & morbi longi mitescunt; ita e diuerso cum Saturnus peruenit ad Arietis initium frigus augetur, arbores mittunt frondes, herbę intereũt, animalia & homines tristantur, noctes obscuriores, & tempus fit inæquale. At dum Sol ad Libram descendit ob latitudinem a nostro vertice omnia tristantur, fiunt tempora inæqualia, morbi lethales, aut longi, sed dum Saturnus ad libram peruenit, ob latitudinem omnia in melius commutantur, & tempus fit æqualius.

Attamen, veluti refert Marsilius Ficinus *in oraculo Alphonsi Regis ad Ferdinandum filium* Saturnus semper Saturninis prodest, immo vt à nobis etiam *tom. 3. libr. 10. genit. 85.* Saturnus dicitur à saturitate, quia in præbendis diuitijs bene affectus saturat; reddit rationem commentat. *lib. de 7. erraticis cap. de Saturno* ob quinq; caussas, primo quia domos significat, & fundos in quibus maxime diuitię consistunt; secundo quia decernit labores, & pręcipuè agriculturam, à qua diuitiæ comparari solent; tertio quia significat parcitatem, & auaritiam, ex qua cumulari solent diuitiæ, soli enim auari euadunt diuites; quarto quia efficit dolores, & rapaces, horum autem est cõgregare pecunias, & augere eas atq; ditari; quinto significat mortuos, ex quibus solent venire hæreditates, quibus promtissime ditantur homines, ac valde vt nulla via facilior, & frequentior: significat etiam Saturnus scientias, & veritatem, quoniam altus permanet vno modo, & suo motu non currit, Abraham *lib. ration. cap. 29.*

Iuppiter est secunda errantium stellarum, atq; sub Saturno posita ijsdem rationibus dephræhenditur, de quibus supra dictum est, maximus est

mus est aspectu preter luminaria, & Venerem, à qua tamen parum vincitur ex inerrantibus, tamen vincitur à Syrio seu Alborab, vel canicula vel cane maiore, quod quidem sydus ex Tychone *in Progimnas. & Tab. contin. 100. select. stell. &c.* his temporibus collocatur in grad. 8. min. 52. Cancri cum lat. Austral. grad. 39. min. 30. & declin. Merid. grad. 16. min. 12. mediat Cęlum cum grad. 6. min. 33. Cancri, & ipsius ascensio recta sunt grad. 97. min. 7. Clara sydera, quæ in nostrum Orizontem ascendunt, & descendunt sunt primo Sol, secundo Luna, post vterque canis, Iuppiter, & Venus; diximus de vtroque cane scilicet maiore supra dicto, & cane minore Procyon, vel Algomeisa, quod quidem astrum situatur in grad. 20. min. 35. Cancri cum latit. Australi grad. 15. min. 57. & declinat. Meridion. grad. 6. min. 10 mediat Cęlum cum grad. 18. min. 21. Cancri, & ipsius ascensio recta sunt grad. 109. min. 52.

Iuppiter tamen est lumine plenus, clarus, & lucidus absoluens Zodiacũ annis 11. inter quos sunt duo Bissextiles diebus 313. fere, singulis enim annis aliquid vltra signum vnum motu suo æquali perlustrat; notatur hoc caractere, ad significandum triplex eius fulmen, quandoquidem Babylonij Astrologiæ cultores Iouem Belum fulminare, & tonare credebat, vel quia binarius numerus est fortunæ, quando & Iuppiter maior fortuna appellatur; dirigit, & non damnat, populat, & non destruit; est formosæ apparentiæ, & compositæ, personæ, mansuetus, fidelis legalis, & pius; ideò si debet ostendere rem aliquam bonitatis, vel melioris successus, stabilit, firmat, & veram facit eam, attamen si habet ostendere malam, vel horrendam, retrahit, & damnat eam, præcipit, & ostendit veritatem, prohibet, & abhorret malum, adiuuat pauperes, gubernat quibus commodus est veridicus in dictis, & factis suis, boni solatij, & amoris, bonæ, & veræ amicitiæ, & sine fraude completus, & sanus corpore, & membris suis fortunatur in factis, & operibus suis, amat senatum, decreta, & iudicia, sermonem iustitiæ, & æquitatis denotat præterea vitam, omneque augumentum boni; & fructificationem: etiã per sui demonstrationem, & fortitudinem in nono mense à conceptione fœtus veniet in mundum, & ad eius quietem, & aerem, & de angustia vteri & tenebrarum liberatur.

Per Iouem æqualitatem, communitatem, & suæ complexionis tẽperiem, Aestatis calor, & frigus Hyemis temperantur, & minuuntur infirmitates pestilentiales ac mortalitates per sui demonstrationem in anni reuolutione; ipsius metallum est stacnum, thutia, &c. ex lapidibus saphirus, & onicinus, crystallus, & omnis lapis albus nitens

tens & vtilis; sed de hoc melius alibi, ex animalibus verò scissarum vngularum omnia; Auium verò Pauones, Gallinæ, & auis omnis grano fruens, & hominibus vtilis, ex animalibus terræ serpentes omne vtile minime damnificum, vt serici vermes; ex Arboribus Amigdalæ, & huiuscemodi, & vniuersaliter fructus, cuius cortice remoto exteriori quod vlterius est comeditur; eius est triticum, ordeum, millium, auena; anni minores eius sunt 12. medij 45. maiores 79. maximi autem 424. quoniam in tanto tempore reuertitur ad suum locum.

Hæc & infinita alia de Saturno, & Ioue dicere possemus, attamen gratia breuitatis prætermittere oportet, & cum Albumasare *in magnarum coniunctionum libro*, Ptholomæo *in centiloquio*, & Messale concludere, per planetarum coniunctiones, & octaui Cœli stationes elementa, terrarum fructus, hominum complexiones mutari, ac etiam corrumpi; quapropter, & hominum phantasmata, cogitationes, leges, instituta, & imperia mutari; & vt Tractatus noster aliquem ordinem habeat, primo videbimus quid maiores coniunctiones præteritis temporibus attulerunt, postea ad propositum deueniemus.

Quid portendat maxima coniunctio Saturni, & Iouis in prima facie Sagittarij anno 1603. iam facta mutatione triplicitatis de aquea in igneam, & quid aliæ tales coniunctiones prætaeritis temporibus significauerunt. Cap. II.

IAM alijs scriptis publice datis dictum fuit a nobis anno 1603. factam fuisse maximam coniunctionem Saturni, & Iouis in prima facie Sagittarij, & factam fuisse mutationem triplicitatis de aquea scilicet in igneam, vnde admiranda portendere iudicamus, veluti inferius dicetur; & dictum fuit superius *lib primo cap. 6.* quod talis maxima coniunctio fit quolibet 794 anno & 331. diebus cum quadranti horarum vnius diei & vt melius futuros effectus de ipsa habeamu operepreciū erit retro calculo acto, & attributis singulis huiusmodi coniunctionibus 794. annis cum dimidio ferè ab anno Seruatoris 1603. in quo fit maxima coniunctio Saturni, & Iouis cum mutatione triplicitatis, & sic semper mirāda, & mutationes maximas (Deo ità annuente) inueniemus. Ideò acto calculo fuit altera anno 809. post natum Christum, quo tempore Romanum Imperiū varijs depressum bellis, & labefactatum reformatum tamen, & auctum fuit à Ca-

à Carolo Magno. Hinc ad annum seruatoris 15. & fuit mutatio magna status Politici, & Ecclesiastici, & quarto Claudij Anno fames grauissima fuit, & eodem anno ipse Britāniam adiens, quem neque ante Iuliū Cęsarem, neq; post eum quispiam attingere ausus fuerat, sine vllo prælio ac sanguine infra paucissimos dies plurimam Insulæ partem in deditionem recepit: Orcadus etiam Insulas Romano adiecit Imperio ac sexto quam profectus est mense Romam redijt nono sui regni anno, & Iudęos tumultuantes Roma expulit, & sequenti anno fames maxima Romam corripuit illis ferè temporibus, veluti ex Beda *de temporibus* colligitur: Petrus Apostolus cum prius Antiochenam fundasset Ecclesiam Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram tenet Episcopalem, id est ad vltimum Neronis Annum, & Marcus Euangelium, quod Romæ inscripserat in AEgypto Petro mittente prædicat. Præterea anno 3205. à condito mundo post finem Assyriorum Regni, & Medorū inchoationē secuta est Olimpiadicorum certaminum, ac temporum institutio; Natiuitas Romuli, & Remi, ac Romæ extructio; & anno 2411. Moses Diuina Prouidentia populum Israeliticum de AEgypto liberauit, & anno 1617. factum fuit vniuersale Diluuium, & post ipsum Noe egressus est de Arca, in qua pauci, id est 8. animæ saluæ factæ sunt per aquam; vnde pax, quod cęmorans *Epistola prima cap. 3.* Beatus Apostolus Petrus mirifice statim exponere curauit cum subiunxit non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi à mortuis, qui est in dextera Dei. In aqua Diluuij Baptismum idest Arca, & his, quæ continebat Ecclesiam, & Fideles illius in octonario animarum numero misterium Dominicæ resurrectionis, in cuius fide baptizamus ducens esse figuratum: & anno 823. à condito mundo, seù ante natum Christum 3954. Deus Mundum ex nihilo creauit.

Modò iter prosequendo in fine anni 1603. facta fuit maxima cōiunctio Saturni, & Iouis non procul à corde Scorpij Stella secundi luminis de natura Martis cum præsentia Mercurij, qui deprimitur ob Sagittarium, & Mars in detrimento longo exagono Iouem, & Saturnum respiciebat; vnde ob Sagittarium qui à Ioue domicilio habetur, & à Sole gratia triangularitatis, ex Ptholomæi dictis *lib. primo cap. 16. quadrip.* Albumasar *lib. 5. introduc. cap. 3. & 4.* Materno *lib. 2. cap. 2. Astronom.* Alcabytio *differ. prima cap. 2. & 4.* Haly *part. prima cap. 1.* quibus cęteri astipulantur; significat primo dissentiones, & bella, destructionem Turcici, & Mahumetti Imperij, postea pacem vniuersalem cum Iouialium, atque Solarium dominio.

Dissentiones, & bella in principio significantur, quia, veluti superius dictum est, talis maxima coniunctio facta fuit non procul à corde Scorpij de Natura Martis, quod sydus sęuitatem, crudelitatem, & rixas influit cum rapacitate, ità annuente Commentat. 4. *aph.* 30. & Stadio *cap.* 9. *tab seu canon. Berg.* prȩterea illa Martis exagona irradiatio in signis longarum ascensionum idem ostendit vnà cum Mercurij congressu, qui tamquam speculator ignem adauget atque cumulat; Nec mirum si bella dissentionesque in Vngaria, partibus Italiæ, Germania & alijs terræ regionibus concitatæ fuere, & locis illis præcipue, qui sagittario tetragonis atque opposito subiecti sunt, de quibus sermonem fecimus in nostris de mutatione Aeris *lib.* 3 *cap.* 14.

Præterea ex ipsamet maxima coniunctione portenta etiam oriri possunt, veluti impressiones ignitæ, terremotus, in aere strepitus, & huiuscemodi; & licet anno 1618. mense Nouembris Trabis ignita in aere visa fuisset, & mense Decembris Cometa, attamen futuris temporibus alias nouas impressiones videre poterimus, veluti inferius dicetur.

Sed statim quæret aliquis quomodo dictus Cometa potest habere ortum à supradicta maxima coniunctione cum ipsa fuisset anno 1603. & Cometa anno 1618. potius illi Cometæ debebant oriri illo anno quam isto; Ad hoc dicendum *ex cap.* 6. *primi libri* quod cælũ agit secundum materiam dispositam; ideò cum anno 1603. materia disposita non fuisset, eam quæsiuit præparare ad eorum formam suscipiendam, & anno 1618. edidit: sed adhuc instabit quare editi fuere magis mense Decembris quam octobris; ad quod licet eadem ratio militet, tamen quia Astrologia est ars liberalis, quę constat ex suis veris caussis, atque principijs, & est scientia subalternata Philosophiæ naturali, sed ipsius professores vt plurimum sunt nebulones, & mendaces, aliarum scientiarum, & Philosophię naturalis ignari, ideò Ptholomęi Comment. 3. *aph.* 155. asserebat Astrologos vt diuinatores pessimos homines esse, deceptores ac malorum morum: Philosophos naturales veritatis studiosos, & probos, ob hęc Astrologus tantum verax est, & probus, quantum in sua diuinatione adhęret principijs philosophię naturalis, hoc idem confirmat Trismegistus *sententia* 5. *centiloquij* rationes igitur plures sunt, nempe directiones, profectiones, transitus, & reuolutiones; nam veluti in genituris generali quodam iudicio multa portenduntur ex figura natalis, ea tamen non vno temporis momento, sed successiue, atq; minutatim declarantur.

Ita res à maxima coniunctione significatę per nebulã quasi quandam adumbratę, & significatę tẽporis successu per aliquot minores coniunctiones, magis, ac magis in lucem proferuntur, donec tãdem in media prorsus confirmentur: In media verò pręsignificatę in subsequentibus minoribus suos effectus manifestius exhibent ex doctrina Pontani *comm.65. centiloquij Ptholomæi*; Attamen nos inferius faciliorem explanationem dabimus: ideò ad argumentum dicimus quod dum ipsa maxima coniunctio tamquam significator ad alium promissorem deueniet, aliquid iuxta promissoris naturam significabit, sic etiam si aliter significator deueniet ad ipsam maximam coniunctionem.

Sed hoc verum est quod directiones nunquam solæ considerari solent, sed adiunctæ profectionibus, reuolutionibus, & transitibus; nam quando cum directione iungitur reuolutio, vel transitus, vel profectio, tunc sanè de euentu significato, quod sequi debeat, non est dubitandum, si absque his in anno aliquo cadit, tunc differtur effectus tam diù quod a simili profectione, &c. irritetur, atque prouocetur, quod si non prouocetur à similibus immo à dissimilibus scilicet reuolutionibus, profectionibus, &c. impediatur, tunc ferri potest, vt talis directionis effectus penitus euanescat; & hęc magis proprie in genituris; in magnis igitur cõiunctionibus etiam pręter profectiones, transitus, & reuolutiones considerantur aspectus, & luminarium deliquia. Ideò prętermissis pro nunc directionibus, profectionibus, atque reuolutionibus, requiremus alias caussas ipsius Cometæ.

Vnde si rectè inspicimus die 21. Iulij facta fuit tremenda Eclypsis Solis in terreni globis superficie cum totali ipsius obscuratione, quę tendebat ad oppositionem ipsius maximè coniunctionis, & in antiscio Saturni, qui seruata latitudine quasi partiliter opponebatur ipsi maximæ coniunctioni, & Iuppiter etiam tetragono radio eam verberabat; postea in fine eiusdem mensis eodem quadrato radio inter se intuebantur in eadem Cęli positura nempe Saturnus in opposito coniunctionis magnæ loco, & Iuppiter in tetragono, quæ materiam valde disposuit, & illis fere temporibus alius Cometa visus est (veluti affirmabant fide digni); mense verò Septembris, & Octobris Saturnus semper opposito radio magnam coniunctionem illustrabat; tandem in principio Nouembris in eadem positura idem Saturnus positus, Mars accelerabat ad suum tetragonum, quo malefico aspectu tam Saturnus quam Mars ipsam maximam coniunctionem verberabant, vnde ex hoc, & aliorum planetarum atque inerrantium

rantium fissarum ortu, & occasu sequuta fuit maxima pluuia, & multæ exalationes, vaporesque e terra, vnde à vaporibus in secunda aeris regione exalationes separatæ vsque ad tertiam euenere, & ibi in maxima quantitate accensæ in trabem ignitam euasere, & cum taliũ exalatio sit calida, crassa, terrestis & viscola, omnes has qualitates significant Planetæ significatores, nam talis terrestris exalatio, & viscosa oritur à Saturno, qui frigiditatem, & siccitatem influit ex Ptholomæo *lib.* 1. *tex.* 30. *quadr.* Bonato *tract.* 3. *cap.* 1. Alcabitio *different.* 2. *cap.* 1. Abraham *cap.* 4. *princ. sapient. & libr. ration. cap.* 29. Haly *part. prima cap.* 4. Albumasare. *tract.* 4. *cap. primo* Saturnus enim in geminis viscosam attrahit exalationem , at terrestreitas significatur à signo in quo reperitur Mars, scilicet Virgo, signum enim Virginis est terrestre Ptholomæo Auctore *lib.* 1. *tex.* 56. *quadr.* cui omnes alij astipulantur, caliditas verò ipsius à Marte oriebatur, qui calefaciendo vrit ex Ptholomæo *lib. primo tex.* 30 *quadrip.*

In fine verò mensis Nouembris post quadrangulum Solis, & Iouis, Sol Saturno opponebatur, Sol propinquus loco coniunctionis, & Saturnus in quadrangulo, vnde in principio Decembris iam cõsumpta trabe apparuit Cometa , & durauit quasi per totum Mensẽ, qui confirmatus fuit à quadrangulo Iouis, & Mercurij, vnus tendẽs ad quadrangulum partilem, alter verò ad coniunctionem, postea à Diametro Saturni, & Mercurij, tendens ipse Mercurius ad coniunctionem maximę coniunctionis , postea à tetragono Saturni, & Iouis in supradicta Cęli positura. & hæc breuiter dicta sint iuxta doctrinam Aristotelis, quæ an vera sit inferius dicetur.

Quarum ignitarum impressionum effectus perdurabunt annis tribus cum dimidio circiter, sicuti alibi diximus, qui effectus sunt bella, dissentiones, prauæ ægritudines, subditorum suppressiones, magnatum mortes, &c. quæ inferius dicentur, nec non Turcarum sectæ destructio, de qua sermonem facimus in sequenti cap. & in alijs.

De Turcarum secta origine, & fine, & suis temporibus. Cap. III.

PTholomæi commentator *primo aphor.* 53. *& lib. genit. genit.* 8. dicebat Alexandri Magni Imperium in Aereo, Persarum in Terreo, Mahumetti in Aqueo cępit, *& primo aphorismorum* 68. Turcas, Tartaros similesque tirannicas gentes significare constituitur Mars, cui adiungitur Venus, vel Luna; Luna quidem cum Marte, quod laboriosissimi sint atque vagi, suisque in vexillis Lunæ imaginem

nem referant, lunaticasque in bellis acies instituant. Venus verò quia libidinosi sunt pluresque simul vxores habere lege ipsis permissum est, atque his conuenit trigonus aqueus, Cancer, Scorpius, & Pisces, quandoquidem & sub Scorpione initium Mahumetti lex habuit.

Attamen vt veritas elucescat operepretium erit prius dicere quod per coniunctionem Saturni, & Iouis cum Martis complexu in orbe fuit erecta insolentia, & Caldęorum lex impulsa, & cum Mars igneæ sit naturę (veluti superius dictum est) incendij sacrificia Caldęi conficiebant, & Diuinitatem commixtam igni ab ipsis creditam colebant, aut ignem mutari in Deum manentibus primis suis accidentibus credebant. Et propter Iouis cum Saturno Soli connexam coniunctionem AEgiptiorum lex emanauit, vbi Solis militiam colebant, & cęlestes imagines. Et Iouis cum Saturno coniunctio cum Veneris etiam complexu Saracenorum legem significauit, quæ in luxus, & concupiscentias prępruptos, & ipsos lapsos contulit.

Prętèrea Saturni, & Iouis coitus in Scorpione cum Lunę complexu, atque bellicosa Martis irradiatione anno à condito Mundo 4271 Mahumeti, & Turcarum legem significauit, & cum Scorpio, in quo facta fuit coniunctio *ex 2. quadr. comm. 54.* sit domus Martis cum ipsius complexu, & Lunę, hac de caussa vsque ad presens tempus retinet mores martiales, & Lunares, & illa lex omnia rudia grossa, & popularia, voluptates, vitia, scelera, luxus, atque rapinas, bella, pręlia, & sanguinis effusionem pręcipit, & cum nonus à coniunctione locus sit Cancer cuius dominatrix est Luna, ideò legem Mahumettanam lunarem, & martialem esse probamus ex Albumasare *magnarum coniunctionum libro primo different. 3. & 4.* & cum Luna Iudęum populũ significet qui ab omni peritia seiunctus est ex omnium Astrophilorum authoritate; Ideo lex illa rudis, & crassa popularis est, & scientiarum inimica sicut vulgus, & propter Martis dominium non syllogismis sed armis se ipsam tueri prępcipit; hinc est quod qui minimum contra eorum legem obloqueretur ferro trucidaretur, & cum Luna sit valde mobilis iuxta terram prę alijs cęteris erraticis, ideò alias leges vehementer annihilabit, & ipsa lex non diu dominium prosequetur.

Duo modo quęret aliquis primo de tempore huius exterminij, secundo an Christiana lex subiaceat Stellis; ad primum dico quod talis difficultas oritur, nam si maxima coniunctio facta fuit anno 1603. iam transacti sunt aliquot anni, & tamen nulla videtur iactura in illo populo; ad quod respondemus & est valde obseruandum, quod

Alstedius ex [illegible] dicit Mahometum exoriense praecessisse magnam ☌ in ♏: Anno Christi nati 590. Et eodem trigono recurrente Anno Christi 1385. maxima damna Christianis illata. Campanella, et alij docent cepisse in Scorpione. Forte vel est error typographi ♏ pro m.A. vel alij inicium sumunt; alij incrementum, et flores; praeterea si praecessit in ♏ [illegible] 20 post annos succedere in m.A. vide Chronologias, et Tabulas. Campanella ponit ☌ hanc in Scorpione in Anno Christi 621. qui sunt Anni Mundi 4569: iuxta vero Eram [illegible]? iuxta autem vulgarem Eram Dionysij sunt Anni 4571: Itaque error typographi hic est ubi dicit 4271: pro 4571: uti diximus.

quod prima coniunctio est tamquam origo germinans, secũda producens florem, tertia tamque flos gignens fructus, quarta verò fructus completos parit, & in illa, vel in quinta colliguntur, quæ omnia inferius aperte demonstrantur, & si coniunctio maxima facta anno *1603*. est tamquam origo, principium, & caussa, finis eius erit anno *1680*. vel *1702*. dum fit eadem maxima coniunctio *S*aturni & Iouis in prima facie Arietis primi signi, & primę triplicitatis ex Ptholomæo *lib. primo tex. 38. quadripar.*

Secundum dubium erat si Mahumettana religio à Cęlo dominatur, ergo & Christiana: ad hoc dico quod non, & ratio est (vt Theologi affirmant vnà cum *S*acris Litteris *Genes.* 18.) Deum sine Cęlis, & medijs caussis tam vniuersalibus, quam particularibus, sed per ipsum tamquam per caussam caussarum posse effectus, & omnia produci in istanti per suam infinitam intelligentiam, Ideò legem Christianam sub Cælorum Imperio minime esse cõstitutam affirmamus, sed asserimus Christum Filium Dei Dominum Cęli, & Terræ adimpleuisse legem, & immediate regi absque Stellis, & caussis secundis à Diuina Maiestate; Ideò D. Thomas *prima par.* asserebat quod virtus, & perfectio attributa inferiori agenti eminentiori modo lucet, ac est prestantior in superiori, qua de re cum libertas hominis perfectioni attribuatur, eminentiori modo concedi, & attribui debet perfectioni Diuinæ, dicens, si Deus libertate priuaretur, ità quod non posset non mouere, esset imperfectior quam homo.

*S*ed adhuc instabit, nam & in Christiana lege factæ sunt mutationes post quasdam constellationes, & Cometas; ad hoc dicimus, quod illæ constellationes sunt tamquam signa, non autem tamquã caussę, & veluti diximus in tractatu de Cometis, Deus dum scelera nostra punire vult, antequam ad flagellum deueniat, cum sit miserator, & vt sit locus pęnitentiæ, signa ostendit, quæ sunt Cometę, Eclypsis, constellationes maximę, & Prophetę: & dum per pœnitentiam purgantur peccata, misericors Dominus placatur, veluti legitur de Niniuitis *ex* I*ona cap. 3.* quorum exterminium pręedictum fuit à Propheta Nahu *cap. 3.* nec non de Ezechia *ex 4. Reg. 20. & 2. par. 32.* & Esaia *cap. 38.* nam dum ęgrotauit Ezechias vsque ad mortem Isaias filius Amos a Deo missus dixit ad eum, pręcipe domui tuę quia morieris, qui conuersus ad parietem orauit Dominum, & fleuit fletu magno, & antequam Isaias egrederetur dixit Dominus reuerte, & dic Ezechię audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & addam diebus tuis quindecim annos, &c. postea Isaias orauit Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in Horologio

rologio Alchazaz retrorsum decem gradibus.

Decem enim gradus in Zodiaco, & longarum ascensionum signis oblique ascendentibus in Aequinoctiali possunt facile respondere quindecim gradibus, quorum quidem vnus annum vnum in directionibus significat ex Ptholomæo *lib. 3. quadr. cap.* 10. Io: de Regiomonte *in problem. tab. direct.* quibus omnes astipulantur Astronomi.

Propter peccata igitur Deus punit populos, præcipue dum ad ipsum non reuertuntur, vnde pestilentia, fames, bella, persecutiones, ægritudines, inimicitiæ, & infinita alia, de quibus omnibus exempla, & vaticinia habemus *3. Reg. 8., Leuit. 26., Deut. 28. & 32., Michææ 2., Amos 4., Osea 5. 6. 8. 9., Ezech. 39. 43., Esaia cap. primo*, & seruator noster per Matth 9. idem dicebat: sed modo ad nostrum; Ptholomæi comment. *lib. de supl Alman. cap.* 22. nostram sententiam confirmat dum dicebat quod leges Christiana, & Iudaica à *Deo* sunt, soluitur autem vnaquæque lex suo contrario. Saturnum debellat Iuppiter auctoritate, & Mercurius ratione, Iouem, & Mercurium debellat Mars non audiens rationes, & sæuiens contra auctoritatẽ; Martem, & Solem debellat Saturnus, & Venus, hæc lasciuia, ille dolis, Martem, & Lunam Sol, & Iupiter destruunt auctoritate, dignitate, & veritate. ideò nos capita extollere debemus, &c.

Præterea cum nona domus à coniunctione maxima facta 1603. in Sagittario, sit Leo domus Solis, in quo triangulat Iupiter victuram dominaturamq; legem denotat, quæ à Leone adiuuatur; sed in arte quis tam fatuus non est quin sciat significatos dominatosq; à Leone, &c. sed antequam opus talis maximæ coniunctionis 1702. ad vmbilicum perducamus, operepreciũ erit enarrare ea omnia prẹcipue vniuersalia, quæ futuris temporibus in mundo poterunt euenire.

De minori coniunctione Saturni, & Martis anni 1622. de ipsius calculo, & quod ità punctualiter sciri non possit probatur per Mathematicas, Prospectiuas, & Physicas rationes. Cap. IIII.

INter alias futuras Cẹli constellationes nos obseruamus minorem coniunctionem Saturni, & Martis anni 1622. mense Iulij nempe 19. eiusdem hor. 22. cum min. 52. post Meridiem: vnde ad diem dictum in Meridie longitudo media Saturni ab AEquinoctio sunt sig. 3. grad. 22. min. 8. sec. 15. Apogæum ipsius sig. 9 grad. 0.

min. 6. sec. 7. anomalia eccentrici sig. 6. grad. 22. min. 1. sec. 55. locus Saturni eccentricus sig. 3. grad. 24 min. 53. sec. 2. medius motus Solis sig. 3. grad. 27. min. 6. sec. 55. argumentum verum sig. 0. grad. 2. min. 13. sec. 53. & verus locus Saturni in Zodiaco sig. 3. grad. 25. min. 7. sec. 2. Longitudo verò Martis ab ęquinoctio sig. 3. grad. 15. min. 54. sec. 24. Apogęum sig. 4. grad. 29. min. 24. sec. 36. Anomalia eccentrici sig. 10. grad. 16. min. 29. sec. 48. locus Martis eccentricus sig. 3. grad. 23. min. 4. sec. 25. verus locus Martis in Zodiaco sig. 3. grad. 24. min. 35. sec. 25. & distantia Martis à Saturno sunt min. 31. & sec. 37. vnde adhibita parte proportionali fit coniunctio in grad. 25. min. 14. & sec. 20. Cancri die Martis 19. mensis Iulij stilo nouo, veteri tamen die 9. eiusdem hor. 22. min. 50. post Meridiem hoc est, die Mercurij 20. hor. 15. min. 27. Horologij, & astra ità collocantur.

Medium Cęli	Cancri	g. 11.	min. 0.
Finitor	Libræ	g. 9.	min. 15.
Sol	Cancri	g. 27.	min. 17.
Luna	Sagittarij	g. 29.	min. 24.
Saturnus	Cancri	g. 25.	min. 14.
Iupiter	Cancri	gr. 12.	min. 16.
Mars	Cancri	gr. 25.	min. 14.
Venus	Geminorum	g. 11.	min. 26.
Mercurius	Leonis	g. 20.	min. 40.
Caput Draconis	Scorpij	g. 16.	min. 41.
Cauda eiusdem	Tauri	g. 16.	min. 41.

Pro iudicio vero quamuis pluribus modis inuestigentur particularia tempora euentuum, & casuum, qui iuxta positum, & significationes thematis eueniunt, tamen à Mathematicis quatuor solum potissimum modis perficitur, per directiones, per profectiones, per reuolutiones, & per transitus, de quibus omnibus discurrere possumus, attamen cum & à Ptholomæo *lib. 3. quad. cap. 11.* & alijs Astrophilis vt plurimum constituantur quinque significatores ad suos promissores dirigendos scilicet Solem, Lunam, medium Cęli, Horoscopum, & Lunarem Horoscopum, & interdum etiam aliquem alium Planetam in figura dominantem seu Almuten. Attamē cum hæc non sit genitura, & in planetis ponderatioribus nunquam habeatur exacta coniunctio veluti habetur in luminarium coniunctionibus ex doctrina Ptholomæi commentat. qui 4. *aph. 79. & de 7. errat. cap. de Ioue* asserebat id experientia, & ratione, quæ prouenire

uenire illa monstrant à tarditate motus, & defectu obseruantium, quæ ad eiusmodi minutissima in motu, & tempora scrutanda minus apta sunt, quod & Kplerus confirmat *cap. 11. de trigono igneo*, nos tamen auctoritate Ptholomæi nec non etiam rationibus desumptis à Mathematicis, & prospectiuis probabimus.

Ideò more mathematico constituamus fundamenta, & philosophico vtemur dicto omnem doctrinā, & disciplinam ex præexistēti fieri cognitione *primo posteriorum primo*, & oportere intelligentem phantasmata speculari *3. de anima tex. 39.* & nihil in intellectu esse quin prius fuerit in sensu *lib. de sensu, & sensili cap. primo*, & Auicennas *aph. primo de anima* qua de caussa, vt Astrorum motus intelligamus, oportet prius ad doctrinam proficisci per species sensibiles, quæ latitudinem quandam sortiuntur cum corporeum habeat subiectum; quantitates ergò minimæ intensibiles à sensitiuis potentijs percipi minime possunt, veluti etiam à Prospectiuis *primæ partis propositione* 50. habemus nihil videri nisi proportionaliter quantum, ideò quantitates maximæ cælestes à nobis nequaquam intelligi possunt; Solem enim prò quolibet die moueri *59.* minutis 8. secundis *19.* tertijs *37.* quartis *19.* quintis, *13.* sextis, & *56.* Septimis cælorum speculatores, & Alphonsinæ tabulæ cōcluserunt, quibus Coperniceæ seu Prutenicæ astipulantur præter quam in quintis, nam ponunt 24. sic in sextis 25. & septimis *42.* nam quolibet anno Copernicus, & Rainaldus asserunt Solem moueri motu æquali composito grad. 3 *59.* min. 4 *5.* sec. 3 *9.* tert. 22. quart. *33.* quint. 3 *6.* sext. *19.* sept. 2 *9.* vlteriores autem fractiones, quæ minimæ sunt in motu Solis, & in omnibus alijs Stellis, quæ minimæ sunt, dimiserūt quoniam insensibiles sunt, qua de caussa in temporis longo intersticio congeriem quandam instituunt, & vbi motus medij vniformes propter cumulum iam dictum ducunt paulatim, & successiue sensibilem errorem minutorum, & graduum; Propterea Ptholomęus *in magna Almagesti compositione*. præcipit vt breui temporis spacio nouam constituamus cęlorum constitutionem, vt Astronomorum error non sit sensibilis, per quem non tantum vaticinia, & singulares effectus describendo falsa conficiuntur, verum etiam, quæ absque Planetarum, & fixarum rectificatione eduntur, sic per coniunctionem ascendentia, & per verissimas ab ipsis creditas planetarum coniunctiones, quare vt Astrorum veritas non obumbretur, oportet sæpe nouam constituere obseruationem, & quod verum sit, iam Alphonsinæ tabulæ sunt lapsæ per minuta, & gradus, sic etiā & Copernicęę, vigent modò Tychonicę, quæ solum de luminarium mo-

tu, atque fixarum, & adest Kpleri mathematici Cæsarei motus Martis.

Prçterea nulla instrumentorum proportio, quibus Astrorum loca nobis innotescunt, potest ità esse capax vt cçlorum minimas quantitates deprehendere valeamus, quç in temporis interuallo erroris congeriem conducat, cum minima Stellarum fixarum demonstratum sit tota terra maiorem esse, eò magis cçlorum vasta quantitas armillas, & instrumenta astronomica excellit, sic etiam propter distantiam nam visus nihil comprehendit nisi proportionali distantia presentatum. *ex 47. primæ part. prospettiuæ*.


Hçc omnia confirmantur, quia motus octaui orbis non est ità notus, qui inferiores planetarum agitationes variat, & in longo temporis interstitio sensibilem errorem confert; & quod orbis Cçli octaui non ita exquisite sciatur probatur per sententiam Ptholomçi *in magna Almagesti compositione* dicentis Timocarus in Alexandria ad Stellam Septentrionalem oculos, & mentem erexit, quç in Scorpionis fronte adest, & fuit hçc speculatio anno Nabucdonosoris 456. secundum Scorpionis comprimere gradum, per vnum tantum latitudinis gradum, & tertiam Septentrionem versus quam quoque Stellam melius geometra in anno Nabucdonosoris 845. die 18. mensis Mesir, & in quinto fuisse Scorpionis gradu inuenit, & 55. minutis ferè cum latitudine Septentrionali vnius gradus, & 20. minutorum inter vtrumque tempus 389. annorum lapsum fuit, & cum hçc Stella suam seruans latitudinem 3. gradus circuiuerit, & 55. minuta oportet centum annis vnum correspondere gradum, & fractiones aliquas, quam doctrinam non ita exactè obseruauit Maginus *cap. 7. part. 4. Isagogicarum* quolibet 100. annis 58. minut moueri ex Copernico *lib. 2. Reuolutionum*, ex quo etiam Reinoldus *in canonica descriptione*; sed Ioannes de Regiomonte Stellas obseruatas *in Epitomate Almagesti* reliquit in spatio 65. annorum vnum perficere gradum, inquiens Thebit quoque in minori temporis interstitio octauam sphœram gradum vnum peragrare expertũ esse quod Ptholomçus; Attamen Tycho Brahe *in primo libro Progimnasmatum* nec non etiam *in Tabula continente* 100. *selectarum stellarum ascensiones rectas, & declinationes ad annos completos 1600. & 1700. vna cum earum de intercedente differentia*, quç quidem apud me existit, vult quod spatio 100. annorum moueatur grad. 1. m. 25. & sec. 0. & quolibet anno secundis 51. & ex his omnibus facile colligere possumus motum supradictum planetarum non ità præcise haberi, & sic ascendens, & medium cçli ignorabimus; alia multa habentur

bentur

bentur à Ptholomęi comm. *lib.2. quadr. comm. 7.*

Alia ratio eſt quia veriſſimum anni tempus metiri non valemus, vt eius motus per anni quartas concipiamus quin fractiones non relinquantur, cum annus ab Aſtronomis diuidatur in diebus 365. horis 5. & min. 55., Solis quoque greſſum ab anni vna vernali quarta vſque ad Aeſtiualem tropicum perfici in 93. diebus horis 10. & m. 50 ab Aeſtiuali verò ad Autumnalem in diebus 93. horis 13. m. 35. ab hac quoque ad Hyemalem in diebus 89. hor. 1. m. 56. à qua iterum ad vernale Aequinoctium diebus 89. hor. 4. vnde veluti diximus *Tom. prim. Medicinæ cæleſt. ſcilicet lib. 2. cap. 14. de Hominis Procreatione* dum loquebamur de ſeptimeſtri partu, & cur infans natus ante ſeptimum menſem non viuat Solem in proprio curſu peragendo maioris temporis quantitate conficere partem Zodiaci Septentrionem verſus nempe à primo Arietis vſque ad primum libræ minutum, quam alteram partem, quæ verſus Auſtrum inclinatur, & etiam maiori temporis ſpatio morari in quarta Aeſtiuali nēpe à 21. Iunij vſquę ad 23. Septembris quam ab Aequinoctio vernali vſque ad Solſtitium Aeſtiuale hoc eſt à 20. Martij vſque ad 21. Iunij; vnde Sol habet vniformem in ſuo centro motum, extra centrum Mundi difformem: & cum nos patefecerimus motum vniformem in temporis ſpatio difformem fieri, & errorem inducere.

Ergo hic motus anni, & eius quantitas à verò ſemoti ſunt vt inferius patebit demonſtratione, ergo ingreſſus Solis in Arietem non adeò verus, Ideò Ptholomæus tamquam in Aſtronomia, & Aſtrologia perfectiſſimus pro anni iudicio vilipendit talem ingreſſum veluti quiſque legens inueniet *libro primo quadr. tex. 38. & lib. 2. tex. 59.* in ſupradicta coniunctione non verus locus aſcendentis nec medij Cęli; nec dicere ac iudicare poſſumus per poſitus planetarum, quod aliquis reperiatur in prima, vel in decima, vel in ſeptima, vel in vndecima domo, ſed eorum, quæ dicta ſunt de motu Solis, demonſtratione probatur



Sit enim orbis eccentricus A.B.C.D. cuius centrum E extra sit centrum mundi F diametraliter transiens per longitudinem longiorem A & propriorem D, & per ambo centra sit A. E. F. D. dico si planeta mouetur æqualiter in orbe A.B.C. D.tunc motus eius apparebit diuersus super centro Mundi F.sint enim A. B. & C. D. arcus æquales ductis lineis E.B.,C.E.,F.B.,F.C.cõstabit *per vltimam sexti Euclidis* angulos A.E.B.,& D.E,& E.C. D.esse ęquales,sed *per 16.& 21.primi Euclidis* A.E.B.est maior angulo A.F.B.,& C.E.D. minor angulo C.F.D. igitur angulus C.F.D. maior est angulo A.F.B. patet quia quod est maius maiore excedit quoq;minus:sed in tẽpore ęquali secat hos angulos, & quod arcus A. B. est æqualis arcui C.D. qua propter motus æqualis respectu E centri deferentis Solis apparet, qui namque diuersus respectu orbis Mundi ,cuius centrum est F, videtur, & sic reperta est motus signorum in orbe Solis diuersitas, & cum instrumenta, quibus anni spatia metiuntur sint materialia elementorum variationibus subiecta, hinc est quod anni quartas,& horarum minimas fractiones falsas numerantnr, & sic fit error in minimis fractionibus relictis , vt quotiens humore instrumenta terrea impediũtur, ac etiam aquarũ horologia, quibus annorũ quartas mẽsurantur,propter aeris obstaculum vt vacuũ non detur, impediũtur.

Quod

Quod etiam ità punctuales non sint ponderosiorum planetarum coniunctiones, & quod longa temporis dilatione planetarum motus sint dissociati à tabularum compositione, ità probabimus. non adest difficultas quod sydera per elementorum duorum distantiã nobis efferri, quare ex aeris atque ignis assidua variatione radiorum apparentiæ continuo alterantur *per 16. primæ partis prospectiuæ propositionem*; nam radius lucis vel coloris à perpendiculari se diuertit cum medium subtilius occurrit, *& per 15. primæ partis prospectiuæ* radius lucis vel coloris ad perpendicularem frangitur in occursu medij densioris, ergò stellæ videbuntur vbi non sunt, & minimæ celestes qualitates videri nequeunt, quod patet *per propositionem 39.* non sub quocumque angulo rem videri, & *à propositione 76.* confirmatur asserente quod nulla quantitas rei immoderate distantis sit oculo certificabilis.

His de caussis male dicunt qui in Genituris, & Astrologia volunt prædicere diem & horam euentuum: Nos igitur coniunctionem solum considerabimus, ac signum, transitus aliorum planetarum per illam, oppositiones, & tetragona, nec non & Antiscia, & si Eclipses fient in illis locis, directiones verò (licet inutiliter) forsan, & Horoscopo, & cęli medio statuemus.

Enumerantur effectus, qui oriri possunt à minori coniunctione Saturni, & Martis anni 1622. nempe bella, seditiones, fames, morbi, & particularia ipsorum tempora Cap. V.

DVbitat aliquis quare hanc minorem coniunctionem obseruamus, & non alias, cum quolibet secundo anno Mars cum Saturno coeat; ad quod dicendum quod Mars iungitur Saturno anno 1622. die 19. hora vt supra in Cancro, in quo signo quolibet 30. anno iungitur, & talis synodus omnibus alijs est deterior, & quamuis omnes sint malæ, & minus malitiosa sit illa coniunctio], quæ in Capricorno fit cum minuatur eorum malitia, cum Capricornus sit vtriusque dignitas, domus scilicet Saturni, & Martis exaltatio: sic Cancer est detrimentum vtriusque, & veluti semper dictum est à nobis (quod quidem est contra mei præceptoris asserta) maleficæ quantò magis sunt impeditæ, tantò magis deteriores fiunt & malitia eorum augetur, quod non accidit ipsis beneficis, quæ quantò magis fortes, tantò potentiores ac fortunatiores, sed impeditæ ac depressæ ipsarum benefica vis marcescit, & debiliores euadunt. Ideò in

in alijs signis Saturni, & Martis coniunctio non habet ita manifesta detrimenta, & licet lædant sed non tantum veluti in Cancro, quoniam tunc ex Alcabitio *different. 5.* Bonato *tract. 4. cap. 3.* Haly *part. 8. cap. 5.* & omnibus alijs in terrarum orbe maximæ eueniũt mutationes, & maxima accidentia, mutantur enim Regna, & bella terribilia fiunt, ex quibus interfectiones oriuntur, suffocationes, captiones regnorum, destructiones, combustiones, & multæ sanguinũ effusiones, fames, mortalitates, sterilitates, atque multitudines pestilentiarum, ægritudinum, quæ statim euenient ex Ptholomæo *lib. 3. quad. tex. 18.* quia hi planetę orientales sunt à Sole atque in tetragono dextro Cometæ, & Trabis, ideò effectus suscitabuntur à nobis dicti in iudicio Cometæ, & Trabis, & cum Saturnus, & Mars oriantur cum Cane maiore, & minore stellis (veluti superius dictum est) primi luminis de Natura Martis, ipsius vigor augetur, & cum Leo, in quo Mercurius, sit signum secundum à tali coniunctione ex Bonato *parte 3. secundi tract. cap. 5.* magnatum impendia non deerunt, & Libra quadrangulat domus Veneris, atque Saturni exaltatio, & honor, ideò mulierum præcipue senum mortes denotaret, & ipsarum dispendia, attamen trigono radio á Venere illustratur; quæ mitigat tale infortunium. Luna tamen in sexta Cęli plaga à cõiunctione, licet in Iouis domicilio morbum popularem denotat præcipue cum plena lumine infortunarum tetragonum acceleret, & cum Capricornus terreus frigidusque sit opponaturque Coniunctioni, & pro septima habeatur, inimicitiæ tenacitatem, & durabilitatem denotat, terra enim veluti *tom. prim. medicinæ Cælestis lib. de Elementis cap. de Terra, & lib. primo cap. 2. de Hominis procreat.* à nobis dictum est, maxima difficultate calorem suscipit, postquam verò susceperit diu retinet, & cum prò loco octauo Aquarius reperiatur Saturni domicilium mortes denotat horrendas, & earum pericula.

Præterea quo ad Iouem, & eius dominium nihil dicam, nam ipse Dominus maximæ coniunctionis est etiam in hac minori dominus nonę, pisces enim à Ioue, & Venere dominantur, domo scilicet à Ioue, à Venere tamen exaltatione, triangulatur etiam à Ioue, & à Venere in signis breuium ascensionum quadrangulum fit, vnde tale dominium firmum remanet, & cum decimæ dominus sit Mars, vnde si in horoscopo infortunæ in Cęli medio nostris ragionibus grad. 7. Arietis culminant, & anno 1639. martiales effectus denotant, sed in alijs Italiæ locis, ex quibus Poli altitudo sunt grad. 45. hęc erunt anno 1641. nos verò iudicamus anno 1640. quo ad bella

vniuer-

vniuersaliter, & post annos 1646. in 1648. supradicta coniunctio peruenit ad locum Mercurij, qui magnatibus dispẽdia minatur, atq; inimicitiarum suscitamenta; attamen 1649. cum Luna coniunctioni opponatur, & mulierum, & plebis morbos, & mortes denotat: quæ omnia dicta, & infra dicenda a Saturni absidis mutatione anno 1630. confirmantur, & cum Draconis cauda, seu nodus austrinus in vndecima sit collocata amicorum penuriam denotat, & in duodecima Venus in Mercurij templo inuenta, & mulierum lenonumq; caussa occultæ orientur inimicitiæ, atq; mortes fraude & veneno paratas.

Sed quoad morbos attinet iam superius dictum est Lunam reperiri in sexta a coniunctione plaga, in cuius domicilio celebratur maleficarum synodus, & in annua reuolutione est iuncta Saturno in eodem signo Cancri, & in tetragono Mercurij, vnde popularem morbum solent denotare, primo, quia populum significat, deinde quia frigida, & humida existit ex doctrina Abrahæ *in princ. sapientiæ cap. 4., & lib. rationum cap.* 28. Hispalens: *Isag. cap.* 14. Haly *parte* 1. *cap.* 4. Bonato *tract.* 3. *cap.* 7. cum omnibus alijs, & a nobis passim *tom.* 1., 2., & 3. *Med. Cælestis*, nec non *lib.* 2 *de Mutat. Aeris* de Luna multa dicuntur; attamen non est silentio inuoluẽdum, quod *lib.* 2. *cap.* 13 *de hominis procreatione* 1. *tom. medicinæ cælestis* appellatur planeta principalior cum omnium superiorum planetarum influxum suscipiat communicando inferioribus, & planetarum dispositiones in se claudet, & compleat omnes. Hæc .n. regit diuersa in signis collocata diuersis, & sic varia varios sẽper producit effectus, (quos retulimus *tom.* 2. & *passim tom.* 3. *Medicinæ Cælestis*, dum de Herbis, & Plantis locuti sumus) & per cõiunctiones frequentes cnm planetis, & alijs stellis omniũ vxor facta earum vires suscipit, & tanquã omnium inferiorum rerũ mater inter vtraq; media superiora videlicet, & inferiora istis omnibus cõmunicat, pręcipue autem quoties cum Sole iuncta fuerit, toties viuifica repletur virtute, quam humectatis dispositisq; inferioribus infundit.

Quomodo etiam ipsa magis pręcipuus planeta dici possit, obseruatione probatur quia magis Lunæ, quam aliorum planetarum attẽduntur decreta, siue ex familiaritate, & vicinitate, quam nobiscum habet, siue quia Sole excepto maior alijs appareat, vel quia eius motus magis est sensibilis, vel quia eius nocumenta suapte natura frigida euidentius experiuntur, aut quia (vt iam dictum est) omnium aliorum siderum influxuum receptaculum est; fuerunt etiam nonnulli a quibus *S*ol alter dicebatur, & non incongrue, nam ea, quæ Sol generat superioris vi masculina, Luna ipsius *S*olis, & aliorũ planetarum

K fœtum

fœtum suscipiens inferiori mundo sibi vicino edit. Ideò eius motus prę cęteris obseruari potest, quasi omniū patiens conceptum, a Mercurio enim vim humores comiscentem suscipit, a Venere eam, quæ ad formas geniturę cōuenientes conducit, impetū, & robur a Marte, rerum omnium fomentum, & spiritum naturalē a Ioue, compaginem stabilitatemq; a Saturno, a Sole verò, qui continet virtutem omnimodam perfectionem omnem, & lumen habet, quæ omnia pro vario sui statu varie explicat giro aspectibusq; diuersis, tam cum planetis, quam cum alijs syderibus, nunc in auge, nunc depressa, nunc in sui epycicli estremo ab eo distat, modo plena lumine, modo media, modo falcata, modo vacua, & deniq; penitus occulta: non immerito igitur ob tot mutationes propinquitatemq; ad nos si tot manifestos producat effectus; Ideo Astrologi omnes vnanimo consensu tam in electionibus, interrogationibusq;, quam in alijs Astrologiæ partibus Lunam obseruant, & Medici in prognosticis, herbis legendis, sanguine mittendo, pharmaca exhibēdo, diebus decretorijs (in quibus puri Medici solam matulam considerantes decipiuntur) solent obseruare.

In hoc igitur maleficorum congressu cum ipsa mansione sit domina pro ægritudinibus eam obseruabimus, quæ etiam tali tempore potius perigęa, quam apogęa debet nuncupari, & ambo maleficæ in apogęo reperiuntur ascendentes in eccētrico, ideo effectus puriores erunt; sed dicet aliquis, qui morbi grassabuntur? dicimus quod Cancer ob Lunę dominium pituitam significat, est enim Luna domina domicilio, & facie, cum quo humore non deerunt nigra, & flaua bilis ob Saturnum, & Martem, & miscelam eorum. Ideo morbi omnes ex prædominio pituitæ erunt cum miscela dictorum humorum.

Quo ad locos affectos ob cancrum pectus, & organa circa cor, ob Saturnum in Cancro virilia, & succedentia, ob Martem in eodem signo pectus: Luna verò in Sagittario dorsum, & fęmora regit: Præterea per se Saturnus habet auditum dextrum, vesicam, splenem, pituitam crudam &c. veluti diximus *cap. 1. huius*. Mars verò auditū sinistrum, renes, pudenda, venas, fel, & intestina; sed Luna gustum, gulam, stomachum, matricem, cerebrum, oculum sinistrum &c. quæ doctrina, veluti dictū est, habetur passim à nobis distincte *Tom. 2. Medicinæ Cælestis*, ex Ptholomæo *lib. 3. cap. 16. quadrip.*, Haly *par. 5. cap. 1.*, Alcabitio *differ. 2.* Pontano *lib. 4. cap. 4. de rebus cælest.* & omnibus alijs cū Io. Hasfurto *in lib. de cognos. & mede. seu curan. morbis ex corporum cæle stiū positione lib. 1 cap. 3.* & cum à Saturno oriantur omnes morbi frigidi, qui ex defluxione humorum generantur, & à Marte tertianæ intermittētes, & non intermittentes, carbunculi,

bunculi, & &c. est modo videre, & minutatim respicere particulares.

Ideo (veluti dictum est) miscela maleficarum, & signo, in quo repe-riuntur, primo erunt defluxiones à capite cum prædominio pituitæ, & subdominio vtriusq; bilis, nec solum cum Medicis dicemus caus-sam huius, nempe quod sit frustrata cerebri concoctio, & quod oria-tur à caussis alijs tam intrinsecis, quã extrinsecis, verum etiam cum Astronomis oriri à corporibus cælestibus, quæ tamquam caussa pri-ma concitant, & commouent omnes alias caussas, nam veluti superi-us dictum est ex Aristotele omnis caussa maxime remota est caussa maxime vniuersalis, & caussa fortius agens, quæ mouet omnes alias caussas, quæ quidem maxime sciri debet quia ad illam omnes aliæ per se ordinate reducuntur, & verba Aristotelis 8. *physic. tex.* 33. ita sonant; hic autem non amplius ex eo, quia ab alio mouetur; vtraq; igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum, illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, & sine pri-mo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit non mouente homine.

Nos igitur cælestes caussas cõsiderando, per quas Deus genus hu-manum ob tot scelera punire solet, dicemus quod Mars cum in hoc signo sit in casu suo, & Saturnus suum sortiatur detrimentum, vene-nosam atq; ardentem humiditatẽ aerem inficientem morbos pecto-ris, pleuritides, febres continuas, & gutturum dolores augebunt, nec non febres putridas maleq; moratas, ac pestilentes.

Hac de caussa reliquimus Montani, & aliorum auctoritatem asse-rentẽ febres pestilentes in alio non differri ab alijs putridis nisi quod in hac humores in corde putrescunt, in alijs verò non, & probat ex modo attracti aeris ad substantiam cordis, secundo ex Galeno 3. *de præsag. ex pulsu circa medium* vbi dicit cũ humores omnes putres-cunt difficilis est curationis sed decipitur, nam dantur pestes sine fe-bre, de quibus Hippocrates *in lib. epid. in eo fluxu* in aere etiam pe-stilenti fit angina pestilens, & sic comunicat prauos vapores cordi; sic etiam datur pleuritis pestilens: Præterea Galenus *in lib. de sim-plici medicina cap. de Bolo Armeno*, dicit dandum esse bolum arme-num cum vino vbi non est febris, cum aqua verò vbi adest febris, er-go pestis sine febre: sed quo ad Galenum dicimus, quod licet id dicat, non tamen sequitur, vt omnes humores putrescant in corde: melius est enim, vt cum Fracastorio dicamus *in lib. de morb. contag.*, quod pestis sit qualitas transmissa à Cælo per aerem, & in aere fit putredo, quæ adeo vehemẽs esse solet, vt tempore. S. Caroli Boromei Medio-lani anno *1576.*, quo adeo sequijt, vt vidisse omnes panem recentem

per noctem aeri expositum non solum mucidum euasisse, sed totum scatere vermiculis,& bene valentes intra sex, aut octo horas moriebantur,& hanc sententiam Fracastorij videtur habuisse & Fernelium, cuius rationes caussa breuitatis sileo.

Nec mirum si ab aere infecto homines, bruta, & cętera animalia morbis,& peste corripiantur,& corpora mutentur,nam veluti dicebat Galenus 3 *artis medicæ* 10. 11., 3. *method.* 8., 9. *meth. non longe à fine*, 11. *meth.* 1. & nos *tom.* 1. *Med. Cæl. lib. de elementis cap. de aere* ambiens is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest.Hac de caussa dicitur esse spiritus vitalis cuncta permeans entia,omnibus vitam,& consistentiam prębens,ligans, mouens, & impellens omnia : Kabalistæ, & Hebręi Doctores eum inter elementa non numerant,sed velut medium, & glutinũ diuersa insimul coniungens,& tanquam spiritum mundani instrumenti roboantem habens, ipse enim proxime cęlestium omnium influxuũ in se concipit, alijsq; cum elementis,tum mixtis singulis comunicat,non minus etiam rerum omnium,tum naturalium,tum artificialium, & sermonum quorumcumq; species,velut deificum quoddam speculum in se suscipit, & retinet,illasq; secum ferens corpora hominum, & animalium per poros ingrediens,tam in somno,quam in vigilia illis imprimens variorum mirabilium somniorum,præsagiorum,& auspiciorum materiam præbet.

Hinc fieri dicunt cur transiens locum,in quo homo occisus fuerit, vel cadauer recens absconditũ,timore atq; pauore concitatur? quia aer ibidẽ plenus horribilibus homicidij speciebus, spiritum hominis dum vna inspiratur, similibus speciebus afficit atq; perturbat; vnde cõtingit sequi pauorem;omne namq; subito imprimens naturam stupefacit.

Hinc etiam nõnulli arbitrati sunt aerem caussam esse somniorum, pluriumq; aliarum animæ impresśionum per dilatationẽ idolorum, seu similitudinum,seu specierum,quę deciduntur à rebus,& sermonibus in ipso aere multiplicatis quousq; perueniant ad sensũ,& tandem ad phantasiam,& animam recipientis,videlicet quę soluta curis nec impedita species huiusmodi obuiam expectans ab illis informantur; ipsæ namq; rerum species licet ex propria natura deferantur ad sensus hominum,& animalium,possunt tamen à Cælo dum sunt in aere acquirere aliquam impresśionem, ex qua vna cum aptitudine a dispositione recipiẽtis magis feruntur ad sensum vnius, quam alterius: Atq; hinc dicũt, ꝙ posśibile est naturaliter,& procul ab omni superstitione,nullo alio spiritu mediante, hominem homini ad quãcunq;

longisśi-

longiſsimam etiam, vel incognitam diſtantiam, & māſionem, breuiſſimo tempo re poſſe nunciare mentis ſuæ conceptum, & ſi tempus, in quo iſtud fit, nō poſsit præciſe mēſurari, tamen intra viginti quatuor horas id fieri omnino neceſſe eſt: Quæ omnia à Platone, Pſello, Porphirio, Proclo, & Ficino multis in locis dicuntur, ſic etiam à Bonato, Alberto Magno, Arnaldo de villa noua, & alijs.

Sed ad peſtem redeundo duæ oriuntur dubitationes, prima de brutis, ſecunda de piſcibus vtrum corripiantur peſte; quoad primum nonnulli nituntur bruta peſte non capi, & Hippocrates in lib. de flatibus videtur hoc idem affirmare; Ariſt. tamē 8. *de hiſtoria animal.* 19. ſentit oppoſitum, & affirmat bruta peſte corripi, & Seneca *lib. 6 cap. 277.* probat tum quia noctu diuq; ſub aere manent, tū quia prauis vtuntur aquis, vnde dicimus (tanquam Medicus) quod peſtis, vel eſt parua, vel magna, ſi parua, bruta non capiuntur, quia ſaniorem vitam degunt, quam homines, ſed in magna etiam bruta corripiuntur; præterea cum bruta prona ſint ore magis attrahunt impurum terræ halitum, atq; ob id magis, & celerius offendūtur, & maxime humida natura vt oues, inde boues, & ſues, minus his capræ, & equi, & multo minus canes.

Sed quia interdum peſtis graſſatur in brutis, & nō in hominibus, & interdum in vna brutorum ſpecie, quam in altera, veluti Bononiæ 1612. boues tantūmodo morbis corripiebantur, & moriebantur, & non oues, nec equi, & pręterito anno Ripætranſon Gallinæ ęgritudinibus mortiferis quaſi omnes periere, & anno *1618.* menſe Septembris, & Octobris in Aprutio, & Piceno boues omnes ægrotabant ad mortem abſq; tamen morte, vnde auctoritate, & ratione, ſed magis experientia affirmamus bruta veluti homines peſte corripi, hac de cauſſa ad cęleſtes cauſſas eſt recurrendum, & ad cauſſas particulares Cæli, veluti infra patebit.

De piſcibus tamen videtur, quod non ex Phyloſopho *lib. ſupra citato cap.* 19., & 20. cum piſces aere non fruantur non vitio aquæ capiuntur peſte, quia cauſſa peſtis eſt in aere; ſoluitur ab eodem Ariſt. *lib.* 8. *cap.* 20., quod piſces tentantur proprijs morbis; de quibus etiam ſcripſit Plinius *lib. 9. cap. 49.* naturalis hiſtoriæ, nam ab aere ambiente corrumpuntur aquæ, & ſic peſte piſces capi poſſunt; immo ſoli piſces afficiuntur morbis, & non bruta.

Vnde dubitandi datur anſa, vnde hoc, cur magis piſces, quam bruta? & ſi bruta quare magis boues, quam oues, & quare magis equi, quam Aſelli? ad hoc dicimus (& dicant quicquid velint Momi, & calumniatores) id accidere à corporibus cæleſtibus, nam veluti à nobis

dictum

dictum est *lib. 1. cap. 7. de hominis procreatione*, quicquid est in inferiori mundo in superiori reperitur, & superius *lib. 1. cap. 4.* hunc ab illo disponi: dum sydera, & imagines illæ à maleficis affliguntur in speciem sibi similem in inferiori influit incommoda, morbos, atq; mortes, quæ sententia confirmatur a Platonicis omnibus asserentibus inferiora omnia esse ideata a superioribus ideis, quas ponunt primo in ipso quidem bono id est Deo per caussæ modum solum esse relatiuis quibusdam rationibus inter se distinctas: secundo ponunt in ipso intelligibili, hoc est, in anima mundi per formas proprie, atq; insuper absolutis formis inuicem differentes; accedunt ad hæc quod totidem sunt in anima mundi rationes rerũ seminales, quot ideę sunt in mente diuina, quibus ipsa rationibus ędificauit sibi in Cælis, vltra stellas etiã figuras, impressitq; his omnibus proprietates; ab his itaq; stellis figuris, & proprietatibus omnes specierum inferiorum, & proprietates dependent, ita vt quælibet species habeat figuram cęlestem sibi conuenientem, ex qua etiam sibi prouenit mirabilis potestas in operando, qualem per rationes animæ mũdi seminales propriam ab idea sua suscipit dotem, & læditur, oppugnaturq; à contrarijs, sed pleniorem notitiam habet quisq; legens tractatũ nostrum de præsidijs cælestibus ad corpus humanum.

Redeũdo ad Pisces in anni reuolutione 1622. Luna in signo aqueo est iuncta Saturno, ideo Pisces non solum morbis afficientur, sed deuorati maximum afferent nocumẽtum, statutũ est enim à Comment. 3. *aph.* 141. quod pestilentia accidit afflicta vi Solis per aerẽ, & Lunę per aquas, ratio est veluti *in lib. de 7. erraticis* dixit quia Sol ignem, & aerem, & quæ in aere sunt animantia custodit, Luna vero aquam, & terram, & horum animantium vitam.

Signa loci, & tempora pestilentium morborum referuntur, & per luminarium deliquia confirmantur. Cap. VI.

SIGNA pestiferorum morborum sunt primo apparitio ignium cælestium in Æstate, quoniam indicant vaporũ, vel exalationum multitudinem; secũdo in Septembri venti Augustini, & subsolani dominantur; tertio aer turbidus tenebricosus diu durans; quarto modo frigus, modo calor; quinto ranarum, murium, & locustarum multitudo; sexto vbi mures, & animalia subterranea fugiunt ad superficiem; septimo vbi aues relinquunt proprios nidos, fructus terræ insipidi, vina turbantur, & putrescibilia omnia multiplicantur; vltimo morbilli, & variolæ apparentes diu etiam durantes.

Sed di-

Sed dicet aliquis vbi,& quando hęc erunt? primo hæc,& superiora dicta in antecedenti capite regionibus,quæ à Cancro illustrātur, patefient,atq; suo opposito, & quadrangulis, quæ quidem regiones, & loca habentur a nobis *lib.* 1. *cap. vlt. de mut. Aeris*: quoad tempus erunt anno 2. transacto a coniunctione dum malefici ad solem peruenient,hoc est,in fine 1624., & in 1625.

Confirmantur effectus supradicti,& corroborātur primo à Saturno,qui morborum est auctor, & illis tēporibus in Leone commoratur,Leo enim signum est solare, & tales morbos mali moris excitat, cum vt opposito suæ domui signo Leo præcipue aduersatur, & in eodem vertici nostro proprior caliginem affert,& cor,cui pręest,afficit; præterea hoc signum naturam quandā solarem, & martialem habet & Saturnus natura inimicus sua pręsentia aerem corrumpit,& pestis semina spargere solet,quod docet,& Comment. 5. *aph.* 142.

Secundo corroborantur à luminarium deliquijs(quæ,vt tristi, & deformi sua facie terrent homines;Ita multo magis effectu perniciosos,resq; ex terra nascentes feriunt,& affligunt, nam anno 1624. in terræ superficie tres Solis,& duę Lunę comprǣhendentur eclypses, ex quibus ambæ Lunæ nobis,Solis reliquæ alijs apparebunt. Prima Lunæ die Mercurij 3. Aprilis anni Gregoriani;24. verò Martij anni Iuliani in grad. 14. cum dimidio libræ prope Draconis caput in loco Comeræ,& Trabis,nec nō in platico tetragono cōiunctionis Martis,& Saturni,erit digitorum fere 18.,& initium Eclypsis h. 22. min. 54. Horologij,principium totius obscurationis,hoc est ingressus totius luminis corporis Lunæ in vmbram terrę h. 24. medium,seu vera oppositio,vel plenilunium h. 0. min. 55. noctis, initium recuperati luminis,seu finis more Lunæ in tenebris h. 1. min. 45.,& finis totius eclypsis h. 2. min. 37. & cum tale deliquium in Oriente fiat statim producet effectus ex Ptholomæo *lib.* 2. *tex.* 28. *quadripart.*

Altera Lunaris Eclypsis eiusdem anni non minus horribilis,& ingens,quam prima, erit die Iouis 26. Septembris anni Liliani, 16. verò eiusdem anni veteris,cuius digiti erunt circiter 20. in grad. 4. fere Arietis,& eius initium erit h. 1. min. 5. noctis,sed totius obscurationis principium h. 2. min. 41.,medium,seu vera oppositio h. 3. m. 30 finis totius obscurationis,& initium recuperati luminis h. 4. m. 43., finis vniuersæ eclypsis h. 5. min. 22., fit in loco Trabis opposito.

Anno verò 1625. licet in Sole,& Luna quatuor fiant eclypses quorum neutra horrēda Solis a nobis conspiciatur,nec Lunę posterior, solū in nostro finitore animaduertetur prior Lunæ,quæ erit die Solis 23. Maij stilo nouo 13. vero eiusdem anni veteris non procul a nodo

boreo

boreo in grad. 3. cũ triente vnius libræ,& digiti erunt 2. cum quadrante circiter,& initium erit h. 6. min. 24. medium,seu vera oppositio,vel ipsum plenilunium h. 7. min. 17. finis h. 8. min. 10. horologij,& noctis sequentis, quæ quidem eclypsis fit in loco Trabis atq; in tetragono platico infortunarũ, vnde præter pestiferos morbos iam dictos eo tempore pluuias multas,& magnas aeris alterationes,multaq; bella, prælia,mortes repentinas,sanguinis effusiones,& insultum contra aliquem Regem, turbidas, & perniciosas seditiones facile iudicare possumus.

Licet anno iam iã preterito nempe *1623*. quatuor occurrãt eclypses duæ Lunæ,& duæ Solis,inter quas prima Lunæ cõspicitur a nobis die Veneris *14*. Aprilis anni noui, 4. verò eiusdem anni veteris non procul à capite Draconis in tetragono partili coniũctionis maleficarum, & ipsa eclypsis erit digitorum fere 11.,vnde accidit cum totali quasi luminis ammissione,& principium ipsius erit h. *9*. m. *6*., medium, & verum plenilunium h. 10. min. *41*. finis vero h. 11. min. 17. horologij, & noct. sequent., quæ omnes eclypses non solum vim talis coniunctionis augebunt,verũ etiam tales affectus accelerabunt.

Præcipue cum anno *1621*. quatuor conficiantur eclypses, de quibus prior Solis,& posterior Lunæ in nostro orizõte apparebunt, prima Solis die Veneris 21. Maij anni noui; 11. vero eiusdem anni veteris non procul à cauda Draconis in grad. 0. min. 20. circiter Geminorum,& digiti Eclyptici erunt 10 ,min. 45. & principium h. 10. min. *5*. Horologij,medium seu visa coniunctio h. 11. min. 4. & finis hor. *12*. min. *38*.,quæ eclypsis per *7*. gradus distat ab oppositione maxime coniunctionis factæ anno *1603*.

Inter alia mala, quæ ab hoc deliquio afferentur, nempe cædes, ægritudines, prauæ seditiones, & pestilentiæ *ex 7. aph.* 34. est etiam penuria fructuum,nam ex Stadii dicto *cap. 7. fissarum*,& Comment. 2. *aph. 16.*, *&* 7. *aph* *110*. eclypses, quæ in florentem arborem incidunt,eius fructus eo anno inferunt penuriam.

Hęc retulimus in nostro tractatu de eclypsibus ab anno 1620. vsq; ad annum 1640. iam in lucẽ edito, tamen rationes non retulimus, licet variæ esse possint tam Astrologicæ, quam Phyficæ, dicimus tamen hoc in loco,quod eclypses,quæ fiunt tempore Aprilis, Maii, & etiam Iunii, quo fructus fieri incipiunt,sterilitatem portendere,quia tunc solet fieri maxima caligo,& durat pluribus diebus,& vi suæ caliditatis vrit, atq; exiccat humidum natiuum fructuum,quo spiritus gingitiuus stirpium vigoratur, qui tunc temporis est inbeccillis,hoc autem debilitato,ac mortificato stirpes fructiferę sterilescunt;solent

etiam

etiam tempore eclipsis rores generari; ideò messes rore humefactę & quidem pluribus diebus putrescunt, atque corrumpuntur plerũque, hoc enim euenit quia ros calida, & humida est, humiditate vincente, atque disponente ad putrefactionem, est enim extranea humiditas putrefactionis mater, vt asserebat Aristoteles *lib. de mixtis* & Auicennas *prima quarti cap. de caussis putredinis:* At cum messes humectantur aqua pluuiatili, quę frigida est, pręseruatur à putrefactione, aqua enim frigida ratione suę frigiditatis pręseruat à putrefactione non permittendo calorem extraneum agere in humidum natiuum, nec in humidum acquisitum ex Rore; hinc fit vt herbæ ad Solem rigatæ putrescant, ac exiccentur. Quod autem ros corruptiua sit signo nobis est eius nitrositas, quæ curat scabiem, & est etiam nobis signo pannus lineus lotus cum noctu capitur à rore redditur lacerabilis.

Diximus præterea *lib. 3. cap. 9. de mutatione aeris* quod eædem caussæ sunt interitus ouium, & domesticorum animalium fluxus, nã cum temporibus illis, & post maximas constellationes, & eclipticas synodus, vel Lunas diametras ros cadat, & cum oues, capræ, &c. herbas comederint multa rore rigatas materia rorida venit ad locũ digestionis vbi sua tenuitate conuertitur in bilem, quæ multiplicata concitat intestina ad fluxum, quo moriuntur.

Referam quod obseruaui hoc anno *1620.* Ripætransonæ patriæ meæ mense Iunij 14. eiusdem; nam factum fuit maximum Lunæ deliquium digitorum fere *19.* & in part. *24.* *S*agittarij in diametro Saturni quo tempore nulla visa est aeris mutatio, solum maxima caligo; postquam verò Luna accelerauit ad tetragonum sinistrum loci ecliptici, & infortunarum, tunc cecidit maxima imbres, dum ad diametrum deliquij peruenit, & ad Saturni sydus manna genita est, quæ maximum detrimentum paruis oliuis, & florescentibus, sic vuis immaturis, messibusq; immaturis attulit: nec mirũ si maius accipiatur à manna detrimentum quam à rore, quia manna generatur à rore, & est calidior ipsa. Sed postquam redijt ad locum eclipticũ, venti asperi cum nubibus, tonitruis, & tempestate procreati fuere, & dum ad talia loca diametra vel opposita & radicale peruenit sem per perniciosas mutationes attulit per spatium multorum dierum.

Solares eclipses deteriores sunt quam Lunares, quia luminare maius (veluti affirmat etiam Ptholomæus, & Galenus *lib. 3. cap. primo de diebus decretorijs*. à quo cętera sydera lumen suscipiunt, & effectus magis in longum progrediuntur quam lunares, nam lunarium eclipsium menses; solares verò annos significant *ex 7. aph. 75.* &

Ptholomæus idem asserebat *lib.2. quad. tex. 27.* ratio est motus Solis, & Lunæ, & cum supradicta Solis eclipsis duret hor. 2. min. 53. effectus durabunt annis 2. cum decem mensibus, & dimidio ex doctrina ipsius Ptholomæi *citato*.

Altera verò Lunæ licet exigua nempe digitorum 3. cum dimidio eodem anno 1623. die Solis 28. Nouembris anni Liliani 18. verò Nouembris anni veteris in partili eiusdem magnæ coniunctionis loco diametrali hor. 15. min. 40. post meridiem, quæ durabit spatio 2. horarum cum triente.

Ex quibus omnibus futuros annos valde ad prauos declinare iudicamus tam in ægritudinibus, seditionibus, & bellis; quam frugum, aliarumque rerum ad humanum victum pertinentium sterilitate, & quo ad Saturni absis mutationem de Sagittario in Capricornum decrementum, & iacturam sectæ Mahumeticæ vaticinamur, & ratio est quia Capricornus est signum Tropicum, & Cancro opponitur, qui etiam est punctus tropicus, & trigoni eiusdem sectæ, & dum Solis, & Veneris facta est permutatio absis in primum punctum Cancri, incrementum magnum Mahumecticæ sectæ significauit *ex 2. quadr. comm. 54.*

Diximus superius de ægritudinibus, & febribus male moratis ob maleficas in Cancro; ideò fas erit hoc in loco inter tot exempla, quæ apud nos existunt in Tomis Tribus, & libris decem genituratum in vsu Medicinæ, solum duos casus referre tamquam à nobis fletos.

Primus fuit Aristeæ sororis nostræ descriptus *Pro vsu Medicinæ Tom. prim. lib primo genit. 9.* cuius inter mortales aduentus fuit anno 1594. die 18. Maij stilo nouo, 8. verò eiusdem anni Iuliani hor. 1. min. 37. noctis, hor. 8. min. 54. Post Meridiem quo tempore in Orizonte Ripętransonis erant Sagittarij grad. 16. min 40. fere cum conceptio fuisset die Veneris 6. Augusti præteriti Anni 1593. hor. 10. min. 25. post Meridiem, & mora in vtero dierum 285. cum dimidio fere; in cuius ortu luminarium alteram in sexta nempe Sol, cum Venere, & Mercurio, Luna verò in quinta, & Iuppiter in tertia infortunę omnes supra Terra, Saturnus in octaua, & domo Solis suoque detrimento, Mars verò in septima in Cancro domo Lunę, & suo casu, & apheta nullus pręter horoscopum existebat qui anno 21. ętatis ad diametrum Martis perueniebat anherętę, hęc igitur anno 1615. mense Augusti nempe die 12. eiusdem hora 13. m. 15. horologij cępit ægrotare febre continua die 5. ij hor. 20. cum quadrante post Meridiem, in cuius decubitu cum inspexissemus Lunam in

septima,

ſeptima, & domo Martis, atque in oppoſito ipſius, qui quidem in ſuo detrimento erat, & eadem ad Saturni retrogradi ſydus accelerabat, quod in octauo Cęli templo tempore ortus collocabatur, & Geniturę dominus in duodecima, & cum Venus in horoſcopo fuiſſet, erat tamen in ſuo caſu, & á cauda Draconis ſauciata, & Luna applicabat etiam ad tetragonum ſiniſtrnm Martis radicis anherætę.

Nos tamen præteritis annis cum talem inſpexiſſemus genituram, interitum eo anno iudicauimus propter (veluti diximus) ſolum Horoſcopum Hilech, qui nec à beneficis vel alijs Stellis illuſtratus, & tunc temporis ad diametrum Martis perueniebat; dum ipſam decũbere vidimus mirum immodum triſtati ſumus, poſtea obſeruata tam męſti ſupradicta hora decubitus penitus deſperauimus. Attamen in propria opinione non fidentes libellum Præceptoris Magini de legitimo Aſtrologiæ in Medicina vſu aperientes, forte quartus aphoriſmus 21. cap. obuiam venit, cuius verba ſunt hæc. Quando loca aphetica radicalia cum dominis aſcendentis genituræ, & figuræ ad initium morbi conſtructæ oppreſſa fuerint; confeſtim mortem iudicato, niſi fuerit receptio inter maleficas, & beneficorum ſalutaris aſpectus, ſic enim (volente Deo) euadere poterit: qui quidem aphoriſmus omnia, quæ ſuſpicabamus, confirmauit, & verificati fuere etiam aph. 19. 22. 24. 30. 31. 32. 35. vigeſimi ſecundi capitis eiuſdem libri: mortua eſt in fine quarti, dum Luna iam tranſacto Sole radicis, ad exagonum longum Saturni etiam radicis accelerabat; vnde multoties obſeruauimus (veluti ſuperius dictum eſt) infortunas in Cancro abſque beneficarum auxilio malignas febres ſignificare.

Eadem die, qua ſoror ægrotare cępit poſt quatuor horas febre correpti fuimus, poſtea diſſenteria laborare cępimus cum eadem febre, & vſque ad mortis limina peruenimus, pulſauimuſque oſtium, ſed non aperuere, qui intro erant, & per menſem cum dimidio proſtratis viribus de vita timebamus, vnde ſororem, quæ vnica erat nec videre nec ſibi aliquid propinandum ſubminiſtrare potuimus, nec mortuæ oſculum dare pro charitatis dilectioniſque ſigno, & parentes ne nos exturbarent ſemper prædicabant ſe ſatis bene valere licet ſepulta fuiſſet, & dum campanæ mortis ſigna dedere, & a nobis aſtantes interrogati, quis nam fuiſſet mortuus, ſtatim vna voce vetulam quandam ſeptuagenariam vitam cum morte commutaſſe reſponderunt, quod quidem minime credebamus, nam & directionem, & reuolutionem nec non horam decubitus recte inſpeximus.

Alter non minus dilectus quam fletus a nobis fuit vtriuſque Iu-

Doct. Johan. Francisci Fidelij Juristae Mors, et Laudes.

ris Doctor D. Io: Franciscus Fidelis *in Medic. Genit. Tom. 2. lib. 6. genit. 94.* Decus, & splendor non solum Ciuitatis nostræ, sed totius Piceni; postquam & in aduocando, & concilia prębendo adeò alios veritate superabat vt potius diuinus, quam humanus iudicaretur: erat pręterea in suis actionibus simplex, iustus, verax, non quæstui inhians, & auidus, sed liberalis, & omnibus vno modo se habebat, nec personarum nempe diuitum vel pauperum differentiam faciebat: Vnde omnes laudes quas Galenus tribuit Hipocrati *in lib. de atra bile de Crisibus de diebus decret. &c.* nempe quod fuisset vir honestus bonus non honoris aut glorię, sed veritatis amator, auctor atque dux omnium disciplinarum diuino ingenio admirabilis, & nimis verax; illas omnes in Io: Franciscum Fidelem iure merito collocare possumus, & absque vllo mendacio: & cum fuisset studiosorum amator, nos præter vllum meritum amabat, & colebat, adeo vt si germanus vel filius fuissemus, tanta dilectione non prosequeretur. Ideò ob tantam in nos beneuolentiam, & amorem dum adest memoria ipsius ex corde, & visceribus veniunt profunda suspiria, & ex oculis tamquam ex fontibus riuuli lachrymarum scatent.

Hic igitur ægrotare cępit die Veneris 3. Mensis Maij *1619.* hora *5.* post meridiem quo tempore dominus ascendentis nempe Venus in centro sextæ domus reperiebatur in oppositione Martis, qui in duodecima existebat, & veluti à nobis superius dictum est, fortunę si deprimuntur debilitantur, infortunę verò depressę maiorem suscipiunt vim; pręterea alter dominus Horoscopi nempe Saturnus in octaua reperiebatur tam hora decubitus, quam hora ortus, qui fuit *1558.* decima mensis Iunij hora vigesima circiter horologij; Sol etiam luminare maius in diametro genitutę horoscopo situatur nō procul etiam à loco Saturni genituræ, pręterea Comęta anni *1618.* in principio apparuit in loco Orientis geniturę Nati vnde præceptor Maginus *cap. 22. aph. 9. de legitimo Astrologiæ in Medicina vsu* dicebat apparitio Cometę, vel nouę Sellę super gradum horoscopi geniturę vel super locum luminaris vitam substentantis noxia est, ac lęthalis; ex quibus omnibus apparet manifesta mors, quę quidem successit die vndecima ab hora decubitus, & eadem hora quasi, qua facta est luminarium synodus.

Quo verò ad genituram derelictis profectionibus, atque reuolutione eo tempore horoscopus aphęta principalis directione peruenit ad oppositionem Solis, & Martis, quorum vterque afflictus erat, Mars enim cum iunctus fuisset Soli ab ipso vrebatur, Sol verò à malefica erat obsessus, qui in fine Geminorum, & principio Cancri

erant,

erant, atque in domo mortis.

Hęc febris visa est in principio Medicis tertiana duplex notha, attamen postea adeò praua, & maligna effecta est vt visus est ęger nullo modo febricitare, cum semper bene se habuisset ad oblata, absque capitis, & alicuius visceris dolore, cum pauca solum oris siccitate, absque delirio, difficultateq; anhelitus, & alijs prauis symptomatibus: pręter hęc vrina semper deposuit semperque subpallearis visa fuit, calor non mordax, sed temperatus, pulsus tam in diastole quam sustole ęqualis; Attamen semper à principio ad finem adhibitis generosioribus, & preciosioribus medicamentis post septimã vires interdum per minimam horis partem, immò per tria vel quatuor temporis scrupula adeò prostratę videbantur vt diceret quisq; tunc animam agere, attamen statim ad pristinum vigorem reuertebantur, vt quidem se sanissimum quisque diceret.

Restat modò vt prò calce capitis duo Salomonis loca afferamus, primo *prouerb. cap. 5.* dicebat ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli; secundo *prou. cap. 26.* responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi sapiens videatur.

De duplici Tertiana notha intermittente, & postea effecta continua & maligna; & an recte curata sit ab Auctore. Cap. VII.

Authoris historia de Morbo et curandi modo in Joh. Fran.co Fidele: et responsio ad Censorem obtrectatorem Medicum Collegam: atque hec tota materia est medica.

NVlli dubium est quod Medici, & Medicinæ finis est sanitas, quæ quidem vel adest, vel abest, si adest Medicus debet eam in corpore conseruare, si abest ipsam restituere *Gal. lib. prim. cap. prim. de sanit. tuend. & alibi.* Sanitas restituitur à Natura absque Medici adminiculo cum morbus leuior est; cum verò grauior requirit artem, quæ cum artifice ex Galeno 11. *method. primo* est caussa sanitatis, non primario sicut Natura, sed alia quadam Natura ad id commoda intercedente quod auxilium dicitur. Medicus ergo cũ recte adhibebit auxilia, tunc amissam sanitatem poterit restituere; & auxilia recte adhibentur, cum ipsorum genus, quantitas, vtendi modus, & temporis occasio cognoscitur, veluti inter Galeni monumenta habemus *primo ad Glauconem primo.* sed frustra tentaret Medicus hæc omnia, nisi virtutis curam haberet, quæ vt aduersatrix morbo opponitur, teste Galeno 11. *meth 3. & primo ad Glauconem 8.* Medicus igitur dum iuxta Methodum medicamenta adhibet, & nullum apud se comittitur erratũ, nisi moritur æger, culpa vacat, præcipue dum morbus medicamentis non cedit, & si in ipso adest

adest aliquod diuinum, veluti Hippocrates asserebat *primo prognost. tex.* 7. Hac de caussa Aristoteles *primo topic.* 2. dicebat neque enim vel orator omnibus persuadere solet, vel Medicus curationem adhibere, sed si nihil prætermittat eorum, quæ adhibere possit, tum denique & peritum eum, & artificem iudicamus.

Casus fuit in nobili viro de Vulpianis ab Aquauiua, prò quo denique conuenimus D. Siluius Fuscus Camertus, D. Euangelista Benuignatus conciuis meus amantissimus, & ego, qui eum àtechnos appellandum opinor, quem vt auram captet à mulierculis & idiotis aduersus amotèchnus viros instar ignamorum fucorum detrahere non pudet; amicus vt aere patrio frueretur regressus nō ità dudum ab Apiro, vbi Medicinam fecit nonnullos dies, Num ipsius aduentus fuerit sors, & fortuna ægri an consulentium, nescio; vtcumque historiam fideliter referam & verioris consilij rationem reddam sincere, & sine fuco prò vt visum decet non Saturninum, non atrabilarem, non sclirò non alogiston sed veritatis amatorem.

Cęsar Vulpianus annum agens 30. temperaturæ sanguineæ biliosæ positus, & vnanimiter contestatus ob plura, & varia errata in sex rebus non naturalibus sub syrio anni 1619. piscationibus venationibusque incubuit multum mali succi congessit 21. Iulij post prādium rurale columbarium petijt, & inde pipiones domum afferens copioso sudore madidus, subuculam siccam non induit, nec sudorem detersit, sed ex prauiori cibo incidit in cruditates, ex quibus ob vehementiores motus excrementa putrida inualuerunt, ità vt febris cęperit totamque diem decubuerit; Die Lunæ melius habuit, & se transtulit præter voluntatem domesticorum Ripatransonam vbi Nundinæ celebrabantnr, secumque duxit aliquot Boues venales; ad agrum Nundinarum peruenit hora 13. ibique permansit negotiando vsque ad 18. horam æstuans, & fatigatus pluries vinum bibit purum, & admodum generosum delatum venale à Monte Florum, postmodum frigidiorem aquam potauit, & copiosam; sudauit & alsit. Interea febris redijt inuasitque cum rigore prò quo sub æstuantibus solaribus radijs obdormiuit circiter tribus horis, exporrecto vehementius caput doluit, æstuansque præ augumento febris, & radijs Solis sublimiorem agri locum petijt cum sodalibus, vt auram captaret, sesquihoram permansit, vbi frigidior aqua scatet ex paruis lapillis sub Horso Episcopatus sibi salubriter consulere arbitratus, & auram, & aquas eluxuriatus est: illinc discessit domum Matertera, apud quam lautam cænam assumpsit absque delectu, sub Solis Occasu iuit dormitum cum honorifico Sebastiano de Rechijs,

vehe-

vehementius incaluit cum vehemētiori capitis dolore vsq; ad mediam noctem: postquam hæc omnia remissa sunt, & in interuallo cępit agere reliquas horas vsque ad nouam accessionem. Has euidentes occasiones febris caussas extitisse, & nobilis æger prodidit, & Astantes. Accersitus die sequenti 23. eiusdem ægrum inuisi, pulsum tetigi, & hypocondria, vrinam inspexi, & singula de excremētis notaui, denique astantes de quibuscumq; iuxta Galenicum dogma percuntatus iui in cognitionem febris duplicis tertianæ nothæ, non tantum quia singulo quoque die inuadebat suumque habebat interuallum, sed etiam ob biliosorum excrementorum prouentum, habitus qualitatem, anni tempus, ætatem, & errata.

His hunc in modum cognitis quoniam saluberrimum est non in continuis modò, sed in omnibus, quas putrescens humor concitat, venam incidere iuxta Galeni decretum *ij methodi* 15. statim prescripsi vt mitteretur sanguis ad libram semis de dextra hepatica præmisso conuenienti enemate, quod protractum fuit defectu astantiū ad horam diei 14. non sine tamen notabili conferentia, & tolerantia, crassior enim erat sanguis, & niger, quem postmodum inspexi in solito febris interuallo ad horam vsque 18. vel *19.* quando iterate febris inuasit, caput verò non doluit, declinauitque citius post vnam fere aut alteram noctis horam, sicut interfui vt opportune cęnaret; Mane sequenti primas vias lenire curaui ex electuario de sebesten simplici cum portione catholici addito syrupo rosato solut. dilutis cordiali decocto: leuiter tulit, & talia excreuit qualia, &c. postridie vsque ad horam *19.* immunis prorsus fuit à febre, quę postea suo typo redijt solitoque modo desijt absque tamen prioribus accidentibus: Propterea vt præcauerem ne in malum morem delaberetur Galenicæ methodo innixus *ij meth. 10. primo ad Glauconē 9. passim alibi,* præscripsi syruppum recipientem syrupos de acido citri, de sonco, de acetosa dilutos decoctione acetosę, sonci, & huiusmodi; In die prioris syrupi febris eodem typo redijt, & progressa est, postridie dum alter syrupus assumeretur timens quod contigit, solito citius inuisi, & febrientem inueni noua febris propagatione cum vrina valde confusa, statim veritus de erratis exploraui à prę-fato Sebastiano, qui cum eo dormiebat, quid nam egerit illa nocte, qua febris propagata fuit in malum morem, retulit eum surrexisse, totamque noctem deambulasse vniuersam domum, an & quid commederit vel biberit aliudque fecerit scire nunquam potui, Sebastianus enim non vidit, & ipse negauit.

Vt vt mihi opportunius visum est illam prauam qualitatem non despi-

despicere sed cito, & iucunde obsistere alexipharmacis cum esset feliciter celebrata phlebotomia, & abundantia humorum subtracta, propterea dedi deuorandum bolum ex acredine citri cum lapide bezoar orientali, & cornu cerui præparato, & superbibendo aquam scorzonarię ad vncias iiij contulit ità, vt subinde Natura excreuit ad vniuersam cutim abundantissimas papulas, quas adiuuare conatus sum frictionibus, cucurbitulis, inunctione Aetij, & similibus, quibus melius se habere visus est; quoniam autem febris perennis erat, ad vesperas exacerbabatur, de validiori bolo cogitaui sumendo in conuenientiori hora noctis ex electuario Hyacintino sine musco cũ granis lapidis bezoar orient. iucunde deuorauit superbibitque scorzonariæ aquam ad uncias V.; mirabiliter profuit, nec peius se habuit. Interea necessitate coactus discessi, & extra patriam dies quatuor immoratus curam suscepit D. Siluius Fuscus Camertus Medicus stipendiatus, qui ijsdem & pluribus medicamentis institit, atque adeò die decima morbi medicamentum purgans porrexit; quando accersitus cum primę sphęrę astro omotricos astantes de omnibus percunctatus est, in occulto mussauit cum mulierculis, quibus cum disputauit diserta latinitate, & eloquentia quasi ea curaretur ęger, quod negat Celsus, denique atrabilariter prorupit, inuehens male sectam fuisse venam, electuarium Hyacintinum à methodo pręstitutum, tamquam iusto calidius respectu febris, cui obsistendum, contrarijs mordicus prędicabat, & consulebat, forsan vt ęger in puteum aquę salubriter immergeretur prò febris extinctione; denique latus est impetu quodam sermonis scorpionisti in propinatum purgans à Medico stipendiato, quod die critica fuerit irrationabiliter subministratum in cruditate materię, & virium imbecillitate, disputans pręterea cum ijsdem mulierculis de virium essentia, & qualitatibus, quod in ęgro non erant ferendo, pthisanam ordeaceam & similiter; inflatus demum abijt secum deferens totam auram anicularum, & reliquorum astantium, ità vt stipendiatus, & ego acciti nihil aurę inuenerimus, vt in ęstiuis caloribus aliquantulum refrigeraremur; sed equidem vitio minime verterem cum ei tale sit, & quidditatiunm ab vtero matris delatum ex suo Saturno inuehere in viros omotònus eos lacerare, insidiari, & omnem malum morem exercere, sicut exercuit vulpiarica febris, dum medicinam faciebat nondum eram initiatus in grãmatica, obseruaui tamen quid ipse quot annis in singulis stipendiatis Medicis Ripanis, & alijs vsus est eadem sorte dicendi, faciendique libertate à Saturno impertita eodem more saturnino: ab initio imbutus seruabit opinor vsque ad mortem,

mortem, nam quod est per se tale &c.

Sed malum iterato conuenimus,& ipse nesciuit,nec poterit se defendere a calumnijs,& falsitatibus tenere,& absq; ratione astantibus ministratis,propterea potius obmutescere,quam verioribus, & sincerioribus rationibus acquiescere, opē petijt ab eius affine Medico de castellis Ophidæ stipendiato,cuius opem,quam tulit, ad verbum postea describam.

Se defendit Auctor, & probat venæ sectionem bene celebratam esse.
Cap. VIII.

DEBEO modo a calumniis, veluti sum immunis,me,honorēq; meū defendere,audiat propterea rationes, quibus innixus phlebotomiam celebraui ante quartam prope interuallum febris, quæ tunc erat typica,& non dum propagata in malum morem.

Stante .n. magnitudine morbi ait Hippocrates 4. *auctorum* 23., *&* 25., Auicenn. etiam *cap. de tertiana* asserit, quod quando vrinæ ad ruborem declinant,tunc est secanda vena, caussam reddens quia periculū imminet de maiori morbo. Præterea Hyppocrates 4. *acutorum,seu de ratione victus in acutis tex.* 20.,& Galenus *lib. de sāguinis missione cap. 9 ,&* 18.; 11. *method.* 14., 4. *method. 6.* adfert regulā vniuersalem,& ait,vbicunq; sunt tres conditiones .s.vbi morbus magnus,vires robustæ,& ætas florens, vena secanda est; si harū vna desit,non secanda;est & Hyppocrates 4. *auctorum* 17., & Galenus *4. method. 6.* admiratur Hyppocratem,qui rem ita vniuersalem sub tribus præceptis posuerit: per morbum verò magnum Galenus intelligit non solum præsentem, sed & futurum magnum: de morbi magnitudine nihil hoc in loco dicam cum satis a nobis *tom. 2. Med. Cælestis* sit dictum. Per ætatem dicit florentē Galenus *4. in morb. vulg.*, ac dicit,& secari posse venam in senectute, dummodo vires constent;in ætate verò vsq; ad dicendum quartum, & *lib. de curand. ratione per sanguinis missionem cap.* 13.pueris sanguineis,& senibus septuagenarijs, si magnitudo morbi adsit,& virium robur, ac pulsus vehemens,venam secari iubet nulla ætatis habita ratione, quod & Auicenn. 4.*primi cap.* 20. a Galeno accepit,& Auerroes *sect.* 3 *collectaneorum de ratione curandi morbos cap* 4. per vires intelligit vitales potissimum Galenus nimirum 11. *meth. cap* 14. ait quod vires sunt robustæ in spiritibus,in carnoso genere,& in membris solidis,ac spermaticis,& in hoc male fecit amicus Fusci, qui, an virium robur existeret, in testimonium adduxit mulierculam, quasi sciret mulier

quid esset spiritus, quid genus carnosum, & quid partes solidæ.

Aderat indubitate multitudinis indicationis essentia, nec ætas reclamabat, nec anni tempus; sed quid plura? interest non quæ ætas sit eius, a quo sanguis mittendus &c. Sed quæ vires sint, inquit Celsus *lib 2. cap. 9.* vires cognitę fuerunt vnanimiter esse validas, & ferendo sanguinis missionem:

Prȩterea quoad venȩ sectionem dixit me debere expectare typum febris, ad quod non respondeo, cum satis pro me respondeat Galenus *lib. 2. de crisibus cap. 3.* studeas Galeno tali loco, quia per me respondit.

Nunc nouam methodum edisco, nam si accesio fuit die 21. hora 19 sic etiam die 22. eadem hora cum omnibus signis relatis in Iuuene sanguineo bilioso ætatis annorum triginta in tempore Æstatis, ad quid suspicandum de tertiana duplici? etiam ex Galeno 1. *de differentiis febrium cap. 5.*

Nec dicere potes fuisse ephimeram, quia si Galenum 1. *de differ. febrium 7.* & passim omnes medicos legeris, in diarijs inseparabile, ac proprium signum est coctio in vrina statim die prima, prætereа pulsus magnus celerq; sed ordinatus, & æqualis, ita vt frequentia à portione deficiat secundum exteriorem quietem; at magis inseparabile, & proprium quod systole, ac constrictio ad celeritatem vel nullo modo, vel vix accedit: est .n. diastole velocior, ac maior quam systole in hoc; & inspiratio, quam expiratio; est etiam suauitas caloris; calor enim est tactu mitis, suauis, ac habitus plenus; pulcherrimum tãdem, & exequitissimũ, inseparabile simul, ac proprium signum est declinatio cum sudore, aut rore, aut omnino cum aliquo optimo vapore, vbi integra cessatio febris sequatur; At in ægroto nostro hæc minime visa fuere, sed potius rigor, de quo in principio minime fidebam, quia etiam a Solis ardore oriri poterat; Attamen aderat pulsuum inæqualitas; caloris qualitas, cum in ea nihil suaue fuisset, ac moderatum, sed mordere quodammodo, atq; tactui molesta, & sicuti fumus oculos ac nares, sic ipsa tactum videbatur erodere: prætereа aderat non omnino vrinæ cruditas sed debilissima coctio.

Hæc, & alia signa obseruaui in ęgroto nostro, quæ quidem se laborare putrida febre, & per accessiones duplici tertiana, & non autem diaria, vel Hectica, quam quidem doctrinam habui etiam a Galeno 2. *de crisibus 9., & passim lib. 1. ad Glauconem libris methodi 9., 10 11. & 12., ac lib. de different. febrium, lib. de temporibus morborũ vniuersal. & lib. de crys.*, ex quibus etiam colligere potes febrem patientis.

Sed cer-

Sed certificatus de supradictis signis, & accessionibus in mei præsentia de tali typo non retractasti, sed dixisti me male venam secasse quia in hora accessionis: sed nec te excusat, quia si 19., & etiam 20. hora inuadebat accessio, & hora 14. sequentis diei facta fuit venę sectio, quomodo dicere potes me in hora accessionis secasse venã? quod hora 19. inuadebat, clarum est, veluti omnes astantes confirmant, & tu etiam, nam astantium præsentia hora 22. dum adfuit, dixisti cibandum fore ægrotum hora 2. noctis ob accessionem, quę aderat, quam quidem tu cognouisse affirmasti & ex pulsu, & lingue ariditate; quod vero facta fuisset venæ sectio hora 14. iam patet.

Sed de hoc non contentus, & vt illa (licet exigua) mei fama omnino extingueretur, atq. in tui honorem conuerteretur, & veluti Poeta dicebat.

Facendo à te con l'altrui biasmo honore

Contra me inuectiuã exorsus es, & excellenti *D.* Hieronymo Castello conciui, qui ad præsens Ophidæ medicinam facit, misisti, quam quidem nunquam videre potui, licet multoties D. Hieronymum rogassem, vt saltem per breuissimum horæ spatium ostenderet: Attamen ex sua responsione, quam à D. Crescentio Tirabasso ludimagistro habui, colligo te tuo modo figurasse casum, dum vir doctissimus ita ad te respondit.

„ Si vis autem vt in tui gratiam (carissime affinis) meam proferam
„ opinionem præsupposita caussa historia, a multis prius alio modo
„ intellecta, modo tamen abs te non minoris sermonis decentia quã
„ doctrina literis enarrata, quid sentiam paucis accipe: licet id mo-
„ leste faciam cũ ex Galeno nullus scribendi modus mordacitatem
„ possit effugere.

„ Tria sunt, de quibus digladiantur viri docti. Primum est, num
„ laboranti duplici tertiana sanguis a vena basilica brachij dextri
„ hora diei 14. missus mense Iulij expediens, & vtile fuisset, cum fe-
„ bris insultus vesperi accessisset: Pro quo statuendũ ex Galeni prę-
„ cepto ratione, & vsu ab omnibus comprobato ad demoliendam
„ multitudinem, morbosumq; apparatum minuendum hoc genero-
„ so præsidio, statim nulla facta cunctatione, quæ in huiusmodi mor
„ bis periculo non vacat, nos vti debere vt minorẽ redditam eo mo-
„ do materiam facilius concoquat natura 2. *aph.* 29 leuata namq;
„ quod corpus nostrum regit, natura exonerataq; eo, quo veluti
„ sarcina premitur 11. *meth.* 13., haud ęgre, quod reliquum est, vin-
„ cet; facilior quoq; paratur medicamentis via, febrilis calor infrę-
„ natur reuulsioq; a foco putredinis, & obstructionis loco cõpara-

M 2 tur, cuius

" tur, cuius ratione scripsit Galenus *11. meth.* 15. saluberrimũ esse in omnibus febribus putridis venam incidere tribus illis cõuenientibus ab Hyppocrate lib. de rat. vict. acut. Comm. 4. tex. 19. connumeratis nimirum morbo vehementi, ætate florente, & virium robore cum naturæ peccantis suppositione. Verum quoniam non videntur hæsitare de huiusmodi præsidij administratione, sed tantum de hora. Ipse ingenue fateor illam horam fuisse conuenientissimam ob hasce rationes, cum n. accessio vesperi inuaderet (nihil refert siue circa vltimam Solis horam, siue circa primam noctis) sectio debebat administrari hora 14., nam in tertianis proportionatis, & continuis per subingressum in meliori parte paroxismi, quæ est declinatio, secanda est vena, erat autem tunc temporis febris in declinatione, prout perspicacissimus Iuuenis obseruauit, horarũ etiam numerus idem comprobat; immò censeo non debuisse expectare perfectam declinationẽ, sed tantum principium declinationis, aut finem status, moueor autem satis rationabiliter ad id asserendũ, quia dies, qui flagrantibus æstuat horis, sanguis neq; in meridie, neq; postea parum extrahi debet. Nam ex Capiuacio 1. *aph. lect.* 23. hora minus calida est eligenda. Hoc amplius obseruandum, vt idem docet, vt per quinque vel saltem per quatuor horas, & si possibile est, per septẽ, aut octo horas ante accessionẽ vena incidatur, namq; rationem sectionis venæ accessiones anticipare solent. Insuper viriũ custodia, cibus per quinq; saltem horas aut sex debet offerri ante accessionem, sectio verò venę administratur per horam ante cibum, proinde longo illo opus erat interuallo. Addendum ex Auicenna *lib. 1. fen. 4. doctrina 5. cap. 20.* venam esse aperiendam a secũda diei hora vsq; ad 4. vel 5. Insuper in huiusmodi febribus pro venę sectione sat est expectare remissionem non declinationem propter futuram accessionem, quæ interdum solet anticipare. Quare his omnibus ita concurrentibus saluberrimum fuit illa hora venam incidere. Amabo igitur id inconcusse tueamur summa prudentia, & optimo consilio huiusmodi auxilium illa hora fuisse administratum.

Ex dictis cognoscitur quanta sit differentia inter casum a me descriptum, & tuã inuectiuã, est nimirũ differentia accessionis quinque horarum; attamẽ me testes defendunt, quia virtutẽ asserere profiteor.

Electuarium Diacyntos non fuisse à Methodo prostitutũ probatur ab Auctore. Cap. IX.

DAMNASTI præterea bolum de Hyacinto sine musco in febre maligna, quia non aderat coctio; ego dixi Galenum dare Theri-

acam,

acam, quę calidissima est: respondisti Galenum dare Theriacam post 14. diem; paradoxon quasi quod in acutis breue spatium non sit, intra quod, si quod auxilium non profuit, æger estinguitur, sunt verba pręcisa Cornelij Celsi *lib. 3. cap.* 1. & si peterē à te videre locum vnicum Galeni, in quo asserat Theriacam in febre maligna dari post decimum quartum; profiteor vidisse Galeni libros, & aliorum medicorum, & nunquam inuenisse tale a te assertum; forsan tu habes Galenos ab alijs diuersos; hæc est altera methodus, febris quæ in quarta sit maligna, medicamentū bezoarticum dari non debere nisi post decimum quartum, es quidem fortunatus in medendi arte postquam tui ægroti, atq; maligna febre febricitantes intra 14. nunquā obmoriuntur, forsan virus illud febris timet te non enecando ægrotos ante tempus dictum, vnde me inuito coactus sum exclamare miraculū miraculum.

Sed incipiamus à Theriaca, & argumentum sit, si de quo minus, ergo & de quo magis, quod Theriaca licet sit summę actiuitatis in febre maligna conueniat, 1. Galenum videamus, deinde alios Medicos; sed hoc in loco si ad verbum eorum asserta referrem, valde in lōgum progrederetur sermo: Ideo tantūmodo tibi referam loca, in quibus dicunt Theriacam mitridatum, electuarium Dyacintos, de gēmis, & huiusmodi optimo consilio, & ingenij prospicacia dari in talibus malignis, & pestilentibus febribus.

Vide primo Galenum *lib. de Theriaca ad Pisonem cap.* 14., *& lib. ad Pamph.* Paulum Aginetā *lib. 2. cap.* 35., Aetium *lib. 13. cap.* 92.

Sed dubitas mi medice quia hi Auctores locis citatis de peste loquūtur, & ægroti nostri erat febris maligna; soluitur difficultas dummodo recte consideras supradictorum Auctorum asserta, nam à proposito nostro aliena non sunt, cum .n. febris pestilens & cum peste & sine peste esse possit in vtraq; propter eximiam, & vehementē putredinem humores malignam quandam, & venenosam naturam contrahunt, quo fit vt eadem sit vtriusq; natura, & eadem remedia vtriq; conueniant, vnde veteres auctores, qui de febre pestilenti, & eius curatione agunt, vno & eodem capite vtramq; compræhendunt.

Sed pro maiori intelligentia animaduertas quod constitutio, seu influxus duplex est, vniuersalis scilicet, & particularis, vel propria; generalis est illa, quæ significat super gentem, aut prouinciam, quæ nō datur ratione agentis, sed ratione loci, & diuiditur in quinq; modis, primo pluribus prouincijs integris, secundo vni prouincię, tertio vni parti prouinciæ, quarto vni Ciuitati, quinto vni membro ciuitatis, quæ quidem vltima visa fuit in Ciuitate Montis Alti anno 1616. mense

menſe Martij, Aprilis, & Maij dum ego ibi medicinã faciebam, nam in vna parte .ſ. ab Eccleſia Cathedralis inferius graſſabantur febres malignæ, in altera parte ſuperna non: At particularis conſtitutio, ſeu propria eſt in vno indiuiduo, quæ à genitura ipſius cognoſcitur; veluti in illa ſororis D. Io Franciſci Fidelis, ac Cæſaris Vulpiani, quę quidem ſunt eadẽ in cauſſa, qualitate, & ſic conſequens eadem præſidia adminiſtrantur, & hęc doctrina non eſt mea, mi Medice, ſed Ptholomæi, & ipſius magni medici Comm. *lib. 2. quadrip. tex. comm. 3* Pręter Gręcos ſunt Arabes, qui bezoartica medicamẽta in febribus malignis laudant, & ſumma ratione dari volũt, inter quos eſt Auerroes *lib. de Theriaca cap. 3. & 5. colliget. cap* 52; Abinzoar *lib. 3. tra. 3. cap.* 1. *&* 4., & Auicenn. *lib. de viribus cordis 5. tract. 2. cap. 4.* quæ loca ſi tu videris, forſan colliges talem eſſe illorum medicamentorum pręſtantiam, vt non ſolum in malignis, ſed etiam in non malignis ea adminiſtrare abſq; dubio poſsis, & non poſt decimam quartam diem, ſed in principio morbi; inferius tamen de hoc.

At ſi Græci, & Arabes in noſtram venerunt ſententiam, forſan latini diſcrepant? minime amice, immo quotquot ſunt Auctores in meo Muſæo omnes aſtipulantur, veluti Io Baptiſta Montanus *tract. de febre peſtilent. cap.* 58., Victor Trincauellus *in ſuo tract. de febre peſtil.* ita dicit, nam ſi alioquin aſtringentia omnia, quamuis leuem
„ aliquam aſtrictionem haberent, eſſent reiicienda, neq; cichoriam,
„ neq; endiuia, neq; ſcordium poſſent tuto in his febribus dari, neq;
„ Ruſi medicamentum, neq; multa alia, quæ longo vſu, & auctori-
„ tate probatiſsimorum virorum ſunt probata, neq; etiam Theria-
„ ca, & Mithridatica antidotus: Hieronymus Fracaſtorius *lib. 3. de*
„ *morbis contag. cap. 6. in tract. febrium, quæ lenticulæ dicuntur* non ſolum cõmendat frigida, & ſicca, ſed etiã calida, & ſicca præſertim aromatica, & quę excellenter aduerſantur putrefactioni. Donatus Antonius Altimacus *tract. de febrib. peſtil. cap. 9.* talia medicamenta appellat ignem purgatorium talium morborum. Ianus Cornarius *lib. 2. cap. 2. de curatione morbi peſtilentis*, poſt venæ ſectionem in talibus malignis fębribus iubet dari ea medicamenta, quæ præſeruant ab ipſis tam ſimplicia quam compoſita, veluti Theriaca, Mitridatum, Electuarium Diacintos &c. Marſilius Ficinus *tract. epidemiorum cap. 9.* dicebat, & antea, & poſt propinabis per os ea, quæ defendunt a veneno, videlicet Theriacam, bolum armeni, Smaragdos, Hyacintos, topazium &c.
poſtea dicebat, nec timeas Theriacæ caliditatem, quoniam tam mo-
„ dica portio parum calefacere poteſt eo quod qualitas elemẽtaris,

quali-

,, qualis eſt caliditas, & ſimiles cũ ſint valde materiales, haud mul-
,, tum operatur niſi multa cum materia; verùm ſpecifica virtus, vt
,, pote quæ donum ſit cæleſte, & quaſi ſpirituale, multum operatur
,, ſecundum Galenum pauca etiam cum materia, theriaca autem à
,, proprietate ſpecifica operatur contra venenum, ac prçter hoc ca-
,, liditatis ſecundum vix perficit gradum, ideò longe potentior eſt
,, ad venenum expellendum, quam ad calefaciendum, febris item
,, peſtilentialis multo magis venenoſa, quam calida, & alibi *nempe*
,, *cap. 10.* dicebat omnia aromatica conueniunt ad conſeruandum, & curandum, maxime quæ attinent ad frigiditatem, & caliditatem, & ſi non conueniant ad febrilem calorem, valent tamen aduerſus venenum ipſius, & maxime ſi contemperentur cum frigidis, ita vt ad frigiditatem aliquam declinent &c.

Ioannes Zechius *libello de vrinis cui de laterali dolore cum febre putrida nec nõ mali moris tractatus, & conſultatio accedunt* ita di-
,, cebat: quod verò ad medicamenta bezoartica attinet malignita-
,, tem venenatamq; humorum qualitatem extinguentia, Theriaca,
,, Mitridatum, & confectio Dyacintos omnibus alijs citro omnem
,, controuerſiam præſtant, quæ licet á nõnullis magni nominis me-
,, dicis recẽtioribus ob id in peſtiferis febribus reprobetur quia ca-
,, lida ſunt, obſeruo tamẽ horum vſu plus commodi, quam incõmo-
,, di comparare ijs, qui peſtifera febre laborant, propterea Galenus
,, etiam *in lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 16.* vel quiſquis fuerit
,, illius libri auctor in febribus malignis & peſtilentibus theriacã cõ
,, cedit, cuius quidem conſiliũ maxime probo &c. vnde vides amice Fuſci quod talia medicamenta dantur non cocta materia, & in illo ægroto Io. Zechij humores minime cocti erant, veluti in appendice legere potes, & in 11. talis ægrotus mortuus eſt. Clariora loca videre poteris a Georgio Agricola *lib. 3. de peſte* qui ſtatim dat talia alexipharmaca; ſic etiam Petrus Mainardus *tract. 2. cap. 1. de peſte* quo in loco etiam ponit deſcriptionem elect. de Hyacinto cum non minima portione ambræ, & muſci.

Sed quid? noſtra tẽpeſtate non ne D. Euangeliſta Benuignatus medicus dat Mitridatum ad dragmã vnam diſſolutum cum ſyruppo de bectonica violato, & de endiuia pro febre (vt ipſe dicebat) maligna Reuer. Preſbiteris Io. Angeli Tognani veluti legitur lib. Recettarum Demitiani Brunamontine Aromatarij Ripani lib. F cart. ſeu pagina 138. & Paulo ſuperius pro eodẽ rçcipe electuarii de Hyacinto dragmam vnam? ſed melius infra vbi deſcribam totam curationem.

Sexcenta huius generis recta philoſophantium, atq; medicantium ſenten-

ſententia confirmat, docetq; bezoartica medicamenta in febre maligna ſtatim adminiſtrari debere. Et licet ex ſupradictorũ medicorũ dictis omnes tollantur difficultates, attamen adhuc dubitas quod calida in febribus non conueniant, cum febris ſit calor præter naturam in corde ex Galeno *1. de different. febrium 3.* ea quidem frigidis, & non calidis curanda eſt; theriaca igitur, & bezoartica medicaméta cum ſint calida non ſunt in febribus admittenda niſi forte in quartana, quæ ex malenconico humore ortum habet; neq; id omni tempore, ſed ſolum poſt abſolutam illius humoris concoctionẽ. Cui difficultati reſpondeo quod calida etiam ſæpe conueniunt febribus quando .i. nocumẽto iuuamentum eſt maius, & tu forſan in febribus non vteris medicamentis catharticis, quæ ſunt calida & cum magna ægrotorum vtilitate: nam vt in 1. *aph. 24.* Galenus inquit non ob igneam febribus caliditatem purgationem adhibemus, hac etiam ſcimus ſui ratione nociturã, ſed propter humores illam efficiẽtes; quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quam id, quod neceſſario cõſequitur expurgantibus medicamentis detrimentum.

Nec ſolum vt noxij hnmores euacuentur, ſed etiam vt ad euacuationem præparentur calida medicamenta, & quidem in morbis acutis commẽdantur, veluti idem Galenus affirmabat *citato* ſic dicens; verum in acutis morbis circa principia ſtatim circa primum videlicet diem, vel non vltra ſecundum ſi ſumus vſuri purgantibus medicamentis quando turgent, non datur facultas iſta præparandi niſi quis forte arripiat occaſionem propinandi melicratum, vel origani, vel themi, vel pulegij, ſiue quod huiuſmodi vim habens humores eſtenuandi. Si igitur in morbis acutis vt noxij humores purgentur Galenus vtitur catharticis, & nos Rhabarbaro Agarico, & ſimilibus calidis, & vt ijdem præparentur ad expulſionem vtitur hyſopo, origano &c. que in tertio gradu ſunt calida, quare in peſtiferis febribus Theriaca, mitridato, & ſimilibus vti non poſſumus, quæ in ſecundo ordine caloris ſunt? ergo & tanto magis electuario Dyacintos ſine muſco, quod minus calidum exiſtit.

Præterea Galenus *ad Piſonem cap. 14.* dicebat iam vero aquæ timorem miſerrimum genus morbi, hoc medicamentum (nempe Theriaca) pellere ſæpe ſolet, & tantorum malorum concurſui admirabiliter aduerſari, non ſolũ enim ijs corpus exiccatur, ac quandoq; conuellitur intuſq; acri febre exuritur, ſed mens etiam delirat, & in grauiſsimum ſymptoma cadit, nam & aquam timent, & propter magnam ſiccitatem humores deſiderio ducuntur, a potu tamen abſtinẽt

& cap. 13.

& *cap.13.* idem Galenus dicebat sępę etiam deliria phreneticorum inducto somno generose curauit, cuius etiam somni beneficio animi perturbationes, & implexas imagines sedauit, prodest morbo regio, expurgat bilem, intestinorum vlcerationes, difficultates tollit, & multa alia miranda de Theriaca in illo capite leguntur: vnde patet medicamenta calida in calidis ægritudinibus etiam iuuare.

Ad tuam oppugnationem asserentem talia bezoartica dari non debere ante materiæ coctionem, ego quidem respondere nescirem cum nullam afferas rationem, attamen forte fortuna habeo locum Galeni *lib. de præcognitione ad Posthumum cap.2.* inquiens in morbo crudo theriaca non est adhibenda, nam humores incoctos agitare potest, non tamen exacte concoquere aut resoluere possit. Quãobrem Medici illi, qui Eudemo Philosopho theriacam importune exhibuerunt, ex vna & simplici quartana primo duplicem, deinde, & triplicem fecerunt: hac de caussa Galenus *primo ad Glauconem* Theriacam in quartana exhibere prohibet; At in casu nostro humores non poterant esse coćti, quia in quinta (quod etiam concedo) hac de caussa tale electuarium de Hyacinto sine musco, & cũ aqua scorzonariæ poterit agitare humores, & febrem maiorem difficiliorem que poterit reddere (& hęc per te bone Medice, licet contrarium sortitum sit, veluti astantes omnes fidem faciunt) tamen quia sum Medicus, vt tu, & libris studui Medicorum, respondeo quod bezoarticum Medicamentum curat venenosos morbos, atque malignos, & etiam illos, qui nullam habent malignitatem nec venenositatem, diuersa tamen ratione; nam malignos curat ratione totius substantiæ seu specificæ formæ, non malignos verò ratione suarum qualitatum: quod in non malignis (vt in pluribus) debeat expectari coctio concedo, tamen in malignis, & male moratis coctionem expectare minime decet, quoniam tam preceps, ac maligna est veneni vis, quod interea dum coctionem expectamus æger ipse aut ad interitum aut ad statum perducitur insanabilem, veluti in ijs, qui venenati sunt nulla expectata concoctione statim & quamprimum succurrimus, ità & in morbis venenosis concoctio non expectatur, sed quam primum fieri potest veneni vis reprimenda & extinguenda, ne in dies aucta insuperabilis efficiatur; & te latere non debet quod ea, quæ curanda sunt, diuersas nobis præbent indicationes, ad illud prius intẽdendum est non posthabita tamen alterius cura, aut quod caussæ rationem obtinet, aut sine quo alterum curari non possit, aut à quo maius imminet ægroto periculum, ut præceptor noster Galenus *3. methodi 9. & multis alijs in locis* docet.

Magnum autem imminet periculum vel propter affectæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propter eius malignitatem auctore eodem Galeno 4. *method.6*. At in hac febre hæc omnia concurrebant, venenosa enim materia, quæ ex ingenti putredine talis fit, & caussæ rationem obtinet cum ex ea febris ortum habeat, & eius, sine quo febris curari non potest, & eius à quo maius periculum ægro imminet, quod quidem accidit non propter vnam tantum ex iam dictis caussis, sed propter omnes tum scilicet propter affectæ partis præstantiam, tum propter affectus magnitudinem, tum propter eius malignitatem, cum humores ipsius cordis ingenti illa putredine correpti sint ac venenosam naturam contraxerint, ex quo fit, vt ad illud potissimum Medici curatio dirigenda sit, vt ea venenosa materia reprimatur atque extinguatur, quod quidem præ cæteris omnibus humanis præsidijs Theriaca, Mitridatum, electuarium de Gemmis, *D*yacinti, & similibus præstare possunt.

Præterea me reprehendere non debes (licet & rationes, & auctoritates omnes contra me essent) quia tale electuarium erat in minima quantitate nempe ad dragmam semis absque vlla musci portione cum vnc: iiij aquæ scorzonariæ: Alij verò Medici, & Magni nominis (veluti ego centies affirmare possum vidisse eorum ordinationes in Aromatariorum libris) dant ad dragmas duas cum musco, & ad dragmam, & dragmam vnam, & semis passim, & non inueni ipsorum minorem quantitatem duorum scupulorum: Theriacam verò ad dragmam & dimidium dragmæ, veluti tu etiam videre potes. *S*ed oleum de calcanto, & sulphure est ne ignis? & tamen in talibus febribus propinatur ad guttas quinque cum felicissimo successu, veluti ego centies periculum feci cum omnibus Medicis non de comuni.

Quod verò de ignorantia me arguat prętermittere possem (cum tu solus es doctus & sapiens) nam veluti diximus *tom. prim. Medicinæ Cælestis nempe lib. primo cap. primo de Hominis procreatione* sensus super corporalibus organis fundati sunt, & cũ corpore in operatione cõmunicant, ob id propter varias corporis alterationes & ipsos alterari, atque immutari non est obscurum, sicque secundum bonam vel malam instrumentorum constitutionem, & sensus bene vel male dispositos melius vel peius operari à sapientibus obseruatur, ex quo accidit homines meliorem complexionem habentes, melioris etiam esse ingenij, atque ad discendum aptiores, molles enim carne aptos esse mente asseruit Aristoteles 2. *de Anima tex. 94*. corporis

poris autem dispositionem variam quilibet a principijs generationis á Cęlo scilicet, & à semine sortitur, veluti superius dictum est ex Aristotele 2. *physicorum tex. 26.*

Attamen arguere me de mendacio dicendo febrem non fuisse malignam dum ad Hieronymum Castellum scribit, hoc quidem ægre fero, sunt nimirum accidentia animi, iam *cap.* 7. dum veram, & canonicam morbi historiam recitare conatus sum dixi cum testimonio supradictorum me die quarta à principio morbi inuenisse febrem continuam & mali moris, & in fine quarti iussi vt deuoraret bolum confectum ex lapide bezoar orient. cornu cerui preparato, & conserua de acido citri, inter quintam & sextam dedi electuarium Dyacinti sine musco ad dragmam semis cum granis quinque lapidis bezoar orient.: dixi præterea quod in assumptione primi boli maxima exanthematum copia visa est in cuti, quæ à centro ad circumferentiā ferebatur: Præterea dum in vnum congregati fuimus nonne dictum fuit à me, & ab alio Medico quod febris in quarta effecta est continua & maligna? & tu nonne idem affirmasti? non solum ex patientis dicto, verum etiam, & astantium? quare igitur ad Medicum Castellum scripsisti febrem non fuisse malignā? mi Medice, dum me carpere intendis, te met ipsum detegis: in tua potestate erat etiam scribere ipsum nulla febre, neque vllo morbo laborare, sed me interfecisse eum subministrando epotum Arsenici, vel Napelli, vel Aconiti, & huiuscemodi: sed audiamus verba formalia D. Hyeronimi Castelli dum respondit ad inuectiuam à te contra me factam.

„ Deinde sciscitatur, num in Iuuene annum vigesimum octa-
„ uum agente, febre biliosa correpto non adhuc maligna, exhibi-
„ tio confectionis Diacynthi denegāda foret; suscepta enim haud
„ irrationabiliter tibi videtur. Namque Alexypharmaca calida do-
„ ctissimorum scriptorum auctoritate, præsertim Ludouici Mer-
„ cati, & Iulij Cæsaris Claudini iunioribus *tom. 2. lib. 7. de febre*
„ *maligna pag. 614. lib. respon. Medic. resp. 4. pag. 50.* calido tem-
„ peramento præditis vehementi febre correptis, atque biliosa Ca-
„ chochymia affectis tempore æstiuo suspecta sunt; calorem enim
„ addunt, febrem augent, & ebullitionem concitant. Immo confe-
„ ctio cum fuisset exhibita antequam accidentia superuenientia
„ praua conspicerentur, neque febris prauo more esset prædita, ad
„ quod Alexypharmaci huiusce exhibitio? dicente Galeno 4. *me-*
„ *th. 3.* remedij indicationem sumi solum à præsenti non à futuro:
„ scribit namque quod à nullo eorum, quæ adhuc non permanent

,, indicatio sumitur remedij ex vsu. Cum ergò malus mos, & fe-
,, bris prauitas tunc non adesset, Alexypharmacum non erat exhi-
,, bendum, quia nulla aderat ipsius indicatio, absurdum enim est
,, asserere (eiusdem Galeni testimonio) aliud esse quod indicat, &
,, aliud esse quod curatur; Dicerem ipse ad primam rationem inter
,, cætera Alexypharmaca calida confectionem de Hyacintho ab
,, omnibus præsertim à Mercato eius inuentore statuitur alijs esse
,, temperatiorem; proinde etiã affectibus calidis conuenire, immo
,, cum ea, qua vsus est Iuuenis summa eruditione, & doctrina insi-
,, gni præditus, esset parata sine musco, & ambra, longè tempera-
,, tior est illa Ludouici Mercati; Itaque prestantior est in morbis
,, calidis, in ipsisque tutius exhiberi potest, quæ cum sit omnibus
,, humoribus analoga, & miram contra malignitatem habeat effi-
,, caciam, nunquam satis ab egregijs viris laudatur. Præterea in
,, remediorum exhibitione neque plus iusto timidior neque (vt ità
,, dicam) scrupulosus quisque esse debet, nam Galenus de oximelli-
,, te verba faciens clarissimè edocet, nullum in tota arte præsidiũ
,, reperiri posse, quod omni prorsus noua vacet. Cæterum cum
,, plus commodi, non incommodi huius vel illius medicamenti
,, vsu ægrotanti comparatur, vt in proposita confectione, tutò au-
,, xilia etiam nonnihil suspecta cum successu conceduntur: Alias e-
,, nim vniuersa medendi ars rueret. Nihil enim (vt dicebat ille)
,, prodest, quod non lædere possit idem; Ad alteram rationem
,, respondendum verissimum esse indicationem semper desumi à
,, præsenti, ideòque etiam illam indicationem fuisse desumptam à
,, presenti nimirum ab apparatu & dispositione, ac putredine hu-
,, morum in corpore existentibus, quæ profectò cuncta paucis post
,, diebus praua debebant effici potentia malum morem generare;
,, hinc indicatio desumpta est quippe à præsenti, iam iam valente
,, prauitatem efficere: imminebat igitur morbus malignus, & pro-
,, inde curandus erat illo remedio; eadem ratione in ijs, quibus pars
,, quæpiam grauiter icta est, propter phlegmonem imminentem
,, venam incidit Galenus *lib. de curandi ratione per sanguinis mis-*
,, *sionem cap. 8.* & postea addit *ibidem cap. 9* quippe non solum vbi
,, iam adsit morbus grauis, sanguinis detrahendi tempus, sed vbi
,, futurum suspicamur. Anteuertit autem Hippocratis doctrina,
,, qua nos docet quæcumque morbis iam præsentibus recte pera-
,, geremus, melius esse vt ipsa morbis incipientibus aut imminen-
,, tibus anteuertendo faciamus. Recte ergo traditum ab Hippo-
,, crate *6. de morbis vulgaribus comm. 3. tex. 40.* quæ sequentia

,, mor-

,, morbos sanant antegressa prohibent. Nam facilius propellitur
,, hostis extra domum cum arcem tantum oppugnat, quam cum
,, intus ingressus, domo, & arce potitur. Sæpe igitur vtilius est an-
,, te symptomata superuenientia, bezoartica propinare, quam po-
,, stea futurum, & imminens præcauendo malum. Verum quoniam
,, initiãtes morbi, sua vel etiã pathognonomica signa veluti herbę
,, pullulare incipientes non vsque adeò aperte exprimuntur sicuti
,, neque oliuam, vel ficum, vel quercum nuper terra pullulantem
,, poterit vnquam quisque internoscere, nisi perfecte in illis sit ver-
,, satus; ità non omnibus datum est statim principia morborum in-
,, ternoscere, sed solum eruditis, & valde exercitatis. Quamobrem
,, cum morbus vix pullulans cognitus sit, admiranda certe, & num-
,, quam satis laudata eruditio, doctrina, simulque experientia per-
,, spicacis Iuuenis. Quæ omnia quoniam certe scio abste etiam
,, probari, plura non addam, faxit Deus vt sicuti in his concordes
,, estis, ità conciues mei nobilissimi vnanimes perpetuo fœliciter
,, viuatis.

Ego tamen dico iuxta veritatem, & supradictorum testimonio tale electuarium datum fuisse postquam febris effecta est mali moris, & postquam peticulæ apparuere; & amicus ego, amicus Socrates, amicus Plato; sed magis Amica veritas.

Medicamentum propinatum à D. Siluio Fusco Camerto probatur ab Auctore fuisse recte administratum, esto in Nona, esto non concocta materia.
Cap. X.

EX supradictis etiam approbare possumus Medicamentum D. Siluij Fuschi fuisse summa prudentia propinatum, *licet à me (vt libere dicam) nunquam tali tempore fuisset datum nec per multos, & multos dies post,* cuius approbatione licet ipse non indigeat cum scripsisset ad multos medicos, qui in sui sententiam venere; Attamen cum mei caussa id sibi accidisset, aliqua in sui fauorẽ dicere coactus sum.

Siluius Fuscus igitur dedit ægroto in mei absentia medicamentum purgans in decima iuxta veram supputationem, tu tamen (Amice) dicis fuisse in nona, & in nona sit sicut vis: medicamentum erat tale.

Recip. Agarici trociscati: Rhabarbari electi ana dragmam vnam; misce infund. S. A. in decocto cordiali & facta expressione adde

Dia-

Diacaptoliconis vnciam semis. Tryferæ persicæ dragmas duas, syrupi rosati solut. vncias tres, misce pro potu.

Quod quidem purgans medicamentum non est vehemens sed placidum, veluti omnes medici affirmant, nam si singulas eius partes recte examinamus, inueniemus primo quod Agaricum omnes Medici extollunt, & eum veteres Physici & Democritus ex Mesue *lib. 2. cap. 3. simplic. purg.* medicamentum familiæ voluerunt appellare siue quod ad omnes omnium internarum partium affectiones sit accomodatum, siue quod ita salubre, & innoxium sit, vt vnicuique ex familia possit seruire & prodesse: in eadem sententia est Marsilius Ficinus *lib. Epidemiorum cap. 9.* Rhabarbarum verò multi Medici inter lenientia reponunt & hoc vt opinor ob sui clementiã, & benignitatem, Adeò vt Mesuen *lib. primo cap. 5. simplici purg.* illius vsum omni tempore omni ætati atque pueris, & pregnantibus innoxium esse, & Auerroes *5. colliget 42.* scribit Rhabarbarum esse frænum cæterorum purgantium medicamentorum, atque multas laudes ipsi tribuit. De Tryfera ità scribit Marsilius Ficinus *citato cap. 9.* principalis & securior Medicina secundum Persarum Medicos & Mesuen est Tryfera vncia vna cum elect. hamech. dram. ij, deinde dicebat propinabis diasenæ loco Triferæ; ex dosi & mutatione Diasenæ loco Tryferæ colligitur esse medicamentum placidum & vtile pestilentibus febribus; sed quid? ex ipsius compositione cognoscimus benignitatem: hac de caussa D. Seruilius Arbustinus in omnibus ferè lenientibus in dupplicibus tertianis vel continuis statim cum felicissimo successu & duas, & tres Trypheræ dragmas administrare solet, sed huius medicamenti encomia lege apud Mesuen *lib. 3. dist. 2.* sed dicis, licet leue fuisset medicamentum, datum tamen fuit non concocta materia; ergo per te omnibus in morbis materiæ coctionem expectare debemus in dandis pharmacis.

Hæc opinio est contra omnes Medicos, & præcipue contra Hippocratem, & Galenum; nam bene verum est, quod Hyppocrates *prima aphorismorum 22.* dixit concocta Medicari oportet, & non cruda, nec in principijs nisi in turgentia materiæ; Attamen idem Hippocrates *2. aphoris. 39.* cognoscens multos esse casus, in quibus à principio in morbis vtendum medicamento purgante, hac de caussa dixit inchoantibus morbis si quid tibi videtur mouendum moue: preterea Medice mi Hippocrates *2. regiminis acutorum* cum Galeno *tex. comm. 11.* non dixit humores biliosos ante coctionem apte purgari posse? & in principio in pleuritide concedit Helleborum; nonne idem Galenus *primo aph. 24.* probat medicamenta, quę

non

non possunt multum calefacere licet soluentia forent, secure posse propinari in biliosis & tenuibus, quia euitatur supercalefactio & agitatio saltem multa, & quæ coctionem possent prohibere, & Auicenna in principio febris pituitosæ dat cartamum seu Cnium, cuius facultas an lenitiua vel solutiua sit habes à Galeno *lib. 7. cap. 33. de simpl. medic. facult.* immo dat Cnio eandem facultatem cum Epitimo idem Galenus *13. meth. 15. & 20.*, Ego verò licet multa alia loca clarissimorum virorum possem afferre, breuitatis tamen caussa sileo, nam & tu Galeni librum *quos & quando purgare oportet in fine*, qui dat Helleborum, & Auerroes *7. colliget cap. 9* in principio purgat in febribus acutis, sic etiam alij auctores, &c.

Afferam tamen hoc in loco determinationes, quibus passim Medicorum auctoritates suffragantur, & rationes, & tu vt bonus philosophus, & Medicus non contradices, immo confiteberis medicamentum fuisse summa eruditione excogitatum. Primo igitur scis ex Hippocrate *primo aph 22.* quod morbi sunt in duplici discrimine, alij sunt, in quibus materia turget, alij verò, in quibus materia est in vno loco confirmata; secundo materia morbifica vel admittit coctionem, vel non admittit; tertio materia morbifica vel mouetur ad aliquod membrum principale, aut quod consortium habet cum principali, vel mouetur ad membrum non principale, & quod non habet consortium cum principali; quarto materia vel est venenata, vel non venenata, vt in febribus pestilentibus, in quibus humores sunt ità putrefacti vt acquisierint naturam veneni; non venenata sicuti in alijs febribus, & in omnibus alijs morbis benignis; qninto in principio morborum materia vel est multa ità vt virtutem opprimat, vel est pauca.

Primò, & principaliter in primo casu recte fecit Medicus noster in propinando pharmaco absque totius materiæ coctione cum subministrati fuissent quinque syrupi, nam cum in turgentia periculũ sit, atque immineat ne humores in aliquod membrum principale recumbat, ac insigne malum pariant, ità huius malignæ febris virus licet non statim ad cor moueretur, tamen cum pauco temporis spatio, vnde aliquo modo turgere, & venenosam materiam ad cor defluere seu irruere dicere possumus cum Rhodorico à Fonseca Lusitano *in explicatione 22. aph. primæ particulæ* & tu vide.

Secundo vel admittit coctionem vel non, dum non admittit, statim coctione non expectata possumus vti medicamento purgante, veluti in Hydrope ascite licet statim euacuare aquam ex abdomine nulla permissa coctione, quia materia hæc coctionem non admittit,

tit, & tu ſtude Galeno *in lib. quos, & quando purgare oportet circa medium*: ſic etiam in febribus malignis vt plurimum non admittitur coctio, quia illa materia adeò maligna eſt, & mali moris vt à calore vitali haud quaquam debellari poteſt præcipue dum ęger in deterius declinat & adhibitis medicamentis, quæ prodeſſe debent & non proſunt, veluti in noſtro ægroto; nam dum ipſa materia male morata non cedebat medicamentis nec ab alexipharmacis domari poterat, quę quidem adminiſtrata fuere à me, & ab alio Medico, ergo erat euacuanda ex doctrina etiam Capiuaccij & Claudini *lib. 2. ſect. 2. cap. 9. de ingreſſu ad infirmos*.

Tertio quando in principijs morborum materia mouetur ad aliquod membrum principale vel quod conſortium habeat cum principali non expectata coctione debemus vti medicamento purgante. Hinc Galenus *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 8.* dixit incipiente inflammatione ſi ſuſpicamus hanc ipſam futuram fore magnam curatio auſpicanda eſt ab euacuatione id eſt phlebotomia aut purgatione, vt clare pateat Galenum inter initia purgare, ne natura habeat impetum in partem principem, & vbi excitet magnam inflammationem: hoc etiam *lib. 6. method. cap. 2.* in punctura nerui ſtatim ſuccum vitioſum purgat non expectata concoctione, nam prius quam abſoluatur coctio cerebrum in conſenſum trahetur, & patiens peribit, nerui enim ſtatim cerebrum in conſenſum trahunt, quod eſt viſcus principale, & tu Medice vide Hippocratem *6. epidemiorum ad initium* propinare medicamentum purgans in dolore Nephritico, item ex Aetio, & Raſi, qui in inteſtinorum doloribus cum fæcum retentione vt ſtercoris vomitus euitetur confeſtim dant Thurbith elaterium colocynthidem, &c. & ex Hippocrate *primo aph. 21. & 2. acutorum* 10. vbi pleuritide deſcendente & hypocòndria non ne ſtatim datur pharmacum?

Quarto ſi materia non turget, ſed ſit venenata in principijs morborum ipſa cruda exiſtente poſſumus tuto vti medicamento purgante, quod ſi nō ſit venenata concoctionem expectare oportet, ratio eſt quia cum venenum ſit inimicum corpori, atq; illico calorem innatum corrumpat, & deſtruat, eſt etiam ſtatim a corpore educendum, & quamuis periculoſa ſit hæc euacuatio quia materia eſt cruda, tamen maius eſt periculum quod imminet ſi venenum in corpore detineatur, nam ſi in hoc caſu velimus coctionem expectare, videbimus mortem à veneno illatam, & propterea incumbentis ei, quod magis vrget, neglecta concoctione debemus ſtatim vti medicamento purgante.

Quinto si in principijs morborum materia sit multa ita vt virtutẽ opprimat licet nõ expectata concoctione vti medicamento purgante non quidem ad materiam illam penitus eradicandam, sed minorandam: at si pauca sit, debemus coctionem expectare, ratio huius est quia à multitudine illius materiæ calor suffocatur, & succumbit, atq; non potest concoctionem efficere; ideo melius est vnam portionem illius euacuare quo natura validior facta super residuum possit hoc ipsum concoquere, quam coctionem expectare, ne subito suffocatio, & mors inducatur. Ego quidem vsus fui in principio leniente medicamento, quod non a toto sed solum ventriculum, intestina, & venas meseraicas euacuauit vt melius pręparantia medicamenta opitularentur; vir tamen doctus cum vidisset maximam humorum abundantiam, & prauorum post assumptionem quinq; syrupporum, cum vrina crassa, & in medio suspenso ad exonerandã sarcinam medicamento purgante vsus est (quod quidem nõ electiue propter benignitatem purgans) sed aliquo modo minorans. Vnde videtur differentia inter medicamentũ leniens, & minorans, nam D. Pontianus Stella medicus ex Tortoreto, & amicus meus repręhendebat me, qui inter ipsa discrimen faciebam: sed ad propositum redeundo, dum vrina crassa existit, & in matulæ medio suspensum an humorum coctionem demonstrent, habes ab Hipp. 4. *acutorũ tex.* 44. vbi diuinus potius quam humanus senex ait licere principijs morborum purgare si vrinæ fuerint crassæ & nebulosæ, & tu vide Galenum 1. *de crisibus* 9.

Nec dicere potes vires fuisse imbeccilles quia vsq; ad diem 14. in quavitam cum morte commutauit, & in deiiciendis ex aluo fęcibus, & in lotio mingendo semper e lecto ex se absq; astantium ope surrexit, immo à principio morbi vsq; ad finem semper se bene habuit ad oblata, ergo non ab inędia, neq; à longitudine morbi, neq; vnquã talem virium debilitatem (vt libere dicam) cognoui, veluti tu asseris.

Postremo nec dicere potes tale medicamentũ datum fuisse die critica quia in decima, quę quidẽ dies apud omnes Medicos est vacua, & medicinalis, quæ etiam non indicat, nec iudicat, nec prouocat; & licet etiam datum fuisset in nona, sicut opinaris, & quod dies nona sit dies iudicatoria, nullum nocumentum afferre poterat (veluti si coniunctę fuissent operationes naturæ & Medicamenti) nam non fit crisis in die critico nisi prius significetur a die indicatorio, auctore Galeno *lib. 3. de crisibus cap.* 7. sed in illa ægritudine nũquam visus est talis dies indicatorius, nec antea nec post assumptionem pharmaci, ergo talis dies nunquam poterit esse criticus; sed quid peccatum? non ne Hippocrates & in quarta, & in nona, & alijs diebus iudicato-

rijs & indicatorijs solet administrare medicamentum purgans? & tu vide Hippocratem 2. *de morbis tex. 13. 36. & alijs in locis*.

Qui quidem dies forsan credo a te sciri, attamen nunquam scies quando dies iudicatoria fiat indicatoria, & econtra, & an quintus, & nonus sint vere critici & quando; neq; credo te esse versatum in caussis Pythagoricorum numerorum, neq; in rebus cælestibus iuxta asserta Galeni 3 *de diebus decretorijs* nam iuxta vltimam doctrinam caussa horum dierum est luna, quam cognouit Galenus sed non perfecte, veluti a nobis demonstratur *tom. 3. med. Cælestis lib. de crisibus, & diebus criticis*, in quo quidem habebis non solum dies criticos, sed & particulas ipsius crisis dependere à corporibus Cælestibus & fieri, ratione, auctoritate, & experimento: vnde miror de quibusdam medicis, qui non solum Astrologiam denigrare volũt, sed etiam dies criticos a Luna nõ fieri, licet Galenus hoc confirmet, inter quos est Andreas Laurentius *lib. 3. cap. 6. & 8. de crisibus*, qui dũ Astrologos, & ipsorum scientiam carpit, Astrologiæ terminos non intelligit, sic etiam quidam alij recentiores, quorum ridicula argumenta propono, sed non soluo in tali tractatu.

Quantum ad Pythagoreorum numerorum rationẽ non dices cum Andrea Laurentio nullam habere vim agendi nullumq; imperium in natura, ipsos non esse substantias sed quantitates &c. nam non ita intelliguntur sicut intelligit ipse Laurentius, nec hic est locus explicare naturæ arcana, & margaritas proijcere; scias tamen sed non perfecte caussam criticorum dierum veluti alia naturæ arcana originem habere a sydera mouentibus, & percipies si aures erunt purgatæ, per enigma, quod tria sint principia: primum in vno consistit non a quo sed per quod, quia purum ab vno procedens non cõponitur, non mutatur. Ad ipsum à ternario, & quaternario fit progressus ad monadẽ, vt denarius cõpleatur, per ipsum enim est numeri regressus ad vnum simul descensus in quatuor, & ascensus in monadem, & denariũ compleri est impossibile nisi per ipsum, quia monas læta conuertitur in triade: omnes hoc principium post principium monadis ignorantes nihil in ternario proficiunt, & ad sacrum quaternariũ non attingunt: secundum vnum existens facit ternarium est quod operatur miranda per ternarium in vno, est enim vnum, & non est vnum & simplex, & in quaternario componitur. Quaternarius autem Pythagoricus numerus ternario suffultus si ordinem gradumq; obseruant purificatus purus in vno ad binariũ in ternario mirauda naturæ operatur; Hinc est quaternarius in cuius mensura ternarius binario cõiunctus, in vno cuncta facit, quę mirabiliter facit. Ternarius autẽ numerus ad vni-

tatem

tatem reductus per aspectum omnia in se continet, & quæ vult potest. Tertium varium est compositum per septenariũ in ternarium octies multiplicatum consurgens manens fixum in ipso est consumatio numeri graduum, & ordinis: secundum cum tertio pro diebus criticis assumptum est principium, sed non perfecte, nam primæ septimanæ finis non coniungitur cum secunda, veluti secunda cum tertia, sic etiã dimidia septimanarum semper cum alijs dimidijs coniunguntur, sed derelinquamus talem doctrinam, quæ non est de communi Philosophia. At forsan alibi de hac dabitur occasio dicendi; concludamus modo cum Hieronymo Manfredo Medico Bononiẽsi *in centiloquio de Medico, & Infirmo propositione* 1. Medicinam per se esse perfectam, Medicum tamen sine Astrologia esse imperfectum, cui astipulantur Hypocrates *lib. de aere, aquis, & locis*; 4. *de morbis, lib. de carnibus &c.* & Galenus *si quis optimus medicus est, & eundem esse Philosophum in principio*, 1. *method. cap.* 1. *aduersus Thessalũ, & passim lib.* 3. *de diebus decretorijs &c.*

Et hæc breuiter dicta sint a me pro honoris defensione, quod si opus fuerit, plura dicere non pigebit: Interim sicut meam methodum absq; ratione reprobare, & damnare voluisti; ita etiam mihi fas sit tuam non damnare, non detrahere; sed solum examinare, vel saltem optimis medicinæ professoribus ostendere, qui quidẽ periculum facient, si tu in tali arte sis me exercitatior. Cætera recta causa deficiunt &c.

De Magnis Coniunctionibus Saturni, & Iouis, quæ celebrantur annis 1623. 1643. 1662. *&* 1682., *cum minoribus Saturni, & Martis, quæ fiunt* 1650. *&* 1680. *deq; effectibus, qui producentur in terrarum orbe.* Cap. II.

EST modo sermo de alijs Magnis Coniunctionibus Saturni, & Iouis, & 1. de seque nti anno .s. 1623. decima nona mensis Iulij h. 12. cum dimidio horologij eodem quasi tempore, quo Luna cum Sole quadrangulat: Attamen cum Prutenicus calculus deficiat aliquot minutis ob octauę spherę motum, quem minus tardum ipse Copernicus supposuit seu ob æquinoctiorum procesſionẽ, ideo ex Tyconis Brahæ nouis obseruationibus colligitur æquinoctiorũ præcessionem maiorem esse à Copernicea min. 16. cum dimidio fere, quæ sunt addenda ipsis planetis; sed quis nos certiorem faciet etiam adhibitis talibus scrupulis? (stantibus supradictis rationibus de imbecillitate certę scientiæ supradictorum, & ponderosiorum planetarũ)

Ideò prætermiſſo inutili labore vniuerſale iudicium tantummodo aggrediemur.

Dubitat tamen aliquis quare magis coniunctiones obſeruamus, quam oppoſitiones, & tetragona horum planetarum? reſpondemus *ex 2. quadrip. comm.* 7. quod coniunctiones, quæ ex lumine cõſtant, pluribus diebus manent, oppoſitiones vna die tranſeunt, oppoſitiones enim, & quadrata caſus repentinos, & ſubitas mutationes faciunt, coniunctiones vero generales euentus. Fit igitur talis coniunctio in ſigno Leonis nẽpe in ceruice ipſius, & Saturnus facie, & termino eſt dominus, ideo eſt crudelitatis maleficiorum audaciæ ſubſtinendi labores, & libidinis ex doctrina Haly *part.* 1. *cap.* 4. Iuppiter tamen in Leone triangulat, & licet ambo tendant ad Epicicli Augem, quoad eccentricum tamẽ Saturnus a perygęo longitudini mediæ ſe appropinquat; ſed Iuppiter ſuperata media longitudine verſus augem cõtendit: præterea Saturnus eſt in loco doloroſo propter Aquariũ eius domicilium; ideo quoad effectus cum Iuppiter vincat, atq; ſuperior ſit Saturno iudicatur vt prima maxima coniunctio 1603. nempe exterminum Monarchiæ ſub trigono igneo factæ nempe Turcharum, & hæc florem producet.

Præter hæc aliud viuendi genus nobile .ſ., & regium denotat cum æquali iuſtitię adminiſtratione, atq; maximo Romani Imperij dominio; licet inter Mundi Principes bella, & rixas ſignificet ex Haly *par.* 8. *cap.* 5. ſic etiam ob Saturnum tali loco cõſtitutum mulieres varijs morbis affligentur, & earum interitus erunt præcipue in parte Orientali inceſſanteſq; flatus ventorũ calidorum, pluuiarum paucitates, & ſiccitates vehementes, quę quidem omnia à Ioue confirmantur *ex lib.* 7. *errat. cap. de Saturno, & Ioue,* & propter luminariũ deliquia nouæ fient in Cælo impreſsiones.

Erravit typographus quia debet dicere in trigono Aqueo nam Turcharum Monarchia coepit in Scorpione ut ex omnibus aliis docet Auctor supra Cap. 3. libro 2. pag. 62.

Anno tamen 1643. in principio menſis Martij fit eadem magna Coniunctio Saturni, & Iouis in vltima piſcium facie cum congreſſu etiam Mercurij non attingens triplicitatem, cum anno 1639. Saturnus eclypticam tranſeat de Septentrione in Auſtrũ in grad. 11 cum dimidio fere Aquarii: hac de cauſſa humiditates denotant, imbres, & putredinem in terræ naſcentibus, atq; animalibus, quę ex putri fiunt materia, quæ omnia a Mercurio augentur, & cum Scorpius in nona a cõiunctione reperiatur, talis ſectæ Populus nempe Turcicæ in ſe fiet vnio atq; reconcentratio licet morbi peſtiferi inter ſe ſint graſſaturi, ratio eſt quia eodem menſe fit Solis ij digitorum deliquium in loco quaſi partili ipſius Magnę Coniunctionis cũ aſpectu tetragono Martis, vnde ægritudines prauas præiudicamus, morbos, pectoris pleuritides,

tides, febres continuas male moratas, gutturum dolores, inflammationesq;, anginas, peripleumonias, ac huiuscemodi, sicq; schismatum principia, & bellorũ tam maritima quam terrena, & sanguinis effusiones illis pręcipue in locis à Signo Piscium dominatis, & omnes, quę fient confederationes ob Mercurium in detrimento, & casu labiles erunt cum deceptione, contentioneq;, atq; verborum multitudine & amici incostantes erunt, quia vndecimum signum à Saturni, Iouis Mercurij, & Solis deliquii loco mobile est, veluti Albumasar probat *lib. 2. introduc. cap. 6. & 7.* Ptholomæus *lib. 1. cap. 10. quad.* Haly *part. 1. cap. 1. de iudicijs Astrorũ*, Alphrag. *lib. 6. introduct.*, Alcabitius *differentia* 1. quæ omnia augẽtur quia domus est Saturni: pręterea piscium iacturam atq; ægritudines inter animalia aquatica, & illis nos vescentes inficiemur.

Et veluti multoties dictum est a nobis præcipue *Tom. 2. medicinæ Cælestis* quod per potentissimas constellationes & maximas fructus terræ alterantur, & corrumpuntur, & nos illis vescentes inficimur, ac etiam ab influẽtiis maximis venenosis organa nostra inficiantur, & corrumpantur, vtputa virtute imaginatiua, & cogitatiua lęsis ratione vti non possimus, & cogamur tum à Cælis tũ etiam ab elementis mala agere, & per mediocres & minimas disponamur; & inclinemur: sed pro maiori intelligentia (licet omnia in 1. libro dicta sint) omnes effectus non dependent à partibus formalibus immediate, nã sunt aliquę mediantibus aliis agentibus, qui etiam a Cælis reguntur, nam cum ex Cælo, elementisq;, atq; anima intellectiua constituatur homo, qui per animam liber est, vt possit sedere, & non sedere, accedere ad diuersa loca, & quiescere; sic etiam ad animam non attinet, quod pulsus suos depressionis, & eleuationis motus non faciat, & quod corpus per siccitatem non senescat; quare non ad Cælos attinet influere quod homines volent, aut quod semper quiescant, sed Cæli ifluũt generationem, & corruptionem caussando indiuidua diuersarum specierum, & influendo species diuersas per phantasmata excitando sensus, vt anima scientis informata in lucem efferatur scitorum, quare istud compositum .s. homo per animam intellectiuam est liber vt possit agere, & non agere, sedere, & non sedere, est tamen coactus propter elementa, vt assidue alteretur, & cõmoueatur, & per Cælos in aliquibus cogitur vtputa per corruptionẽ necessariam cum constet ex elementis concitatis, cõmotis, & regulatis à Cælis, & ab elementis; ac etiam à Cælis hominum organa sunt impedita, & destructa, quamobrem anima intellectiua cum caruerit organis, vt puta cum virtus cogitatiua est lęsa humore adusto, & atrabilari, aut biliofo destru-

ſo deſtructis per influxus cęleſtes; tunc rectum præcipere non poteſt, & libertas ſuas operationes exercere nō valet cum organis caruerit; & propterea non inconuenit, vt per hanc potentiſsimam cōſtellationem aere infecto inficiatur & aqua, & per conſequens piſces; vnde nos illis veſcentes inficiamur.

Præterea anno 1650. menſe Iulii quaſi in nouilunio fit minor cōiunctio Saturni, & Martis in 1. facie Cancri non procul ab Apice Solis, vnde præter bella futuris annis erit & penuria rerum, quæ victui ſunt neceſſaria; confirmantur præterea omnia a coniūctione Saturni & Martis anno 1652. Menſe Auguſti in eodem Cęli gradu, quo luminarium coniunctio tēpore alterius minoris coniunctionis in Cancro anno 1650. facta fuit, & a tranſitu ipſius Saturni anno 1653. de meridie in ſeptentrionem dum ſecat eclypticam in grad. 6. cum duplici fere triente Leonis.

At anno 1662. fit eadem magna coniunctio menſe Decembris in fine primæ faciei Sagittarii cum Martis præſentia, ideo diſſentiones, rixas, bella, & regnorum reuolutiones denotat, attamen cum Catholicorum dominio, Leo enim in nona a coniunctione ſede reperitur; Ideò Hęreticorum deſtructiones denotat, & in Turcarū Imperii depreſsione eſt tanquam flos gignens fructus; augetur quia anno 1670. circiter fit mutatio Martis abſis de Leone in Virginem, vnde etiam ſiccitates portendit, & aeris corruptionem nec nō ſumma ingenia, maximamq; ſapientum copiam, quæ ingenia quiq; ſapientes ad callidos, audaces, vafros, rapaces, ſubdolos, aſtutos declinabunt, & qui ſocios malitia vincent, & malo animo lucrabuntur, & qui res falſas falſaſq; ſcripturas facient: dominabitᷣ pręterea ventus ille, qui dicitur Typhon. Alia habemus a Cōment. *lib. 2. quadrip. cap. 9. & tex 54. nec non libello de mutat. aeris cap. 4.*

Sed anno 1680. Menſe Septembris fit altera minor coniunctio Saturni, & Martis in ſecunda facie Cancri, iterum diſſenſiones, annonæ penuriam antecedentibus, & ſubſequentibus annis, rixas, bella, & febres peſtilentes atq; malignas denotant.

1682. At anno 1682. menſe Iulij fit magna *I*ouis, & *S*aturni coniunctio in 1. facie Leonis, atq; in ceruice ipſius, ideo maximę erunt in mundo mutationes, atq; Romuli Imperium per vniuerſam terram præſcietur, & cum in nona à coniūctione loco Aries ſituetur, adhuc erunt alia, & ſęuiora bella, (quæ & à luminarium deliquijs confirmantur) ſed cum catholicorum victoria, quia in tali ſigno Sol lætatur ratione exaltationis & Iuppiter triangulat, tūc diſputationes, prędicationes, ſeu cōciones, ſermoneſq; vigebunt, & hominis rationaliores fient ob

Geminos

Geminos in vndecima Cæli plaga, atq; Mercurij Venerisq; dispositione. Hæc enim magna coniunctio in Leone veluti maxima 1603. in Sagittario, in quibus dominiũ maximum est Solis, & Iouis, in Turcicam Religionem, & populum fructus completos facile pariet.

Et nõ immerito si per has quatuor magnas coniunctiones Scorpionistę sectæ exterminum iudicatur magis quam per quintam nempe illam maximam *1702.* nam veluti superius dictum est *cap.* 3. *huius libri* ipsę sunt tanquã arbor, quæ producit fructus maturos atq; perfectos, qui antequam legantur mutationes quatuor facere solent; extat tamen altera caussa symbolicæ philosophiæ ipsius solum amatoribus manifesta, effectus tamen omnibus tã sapientibus, quam ignaris sunt manifesti, nam hæc inferiora Cælorum agitationibus subdũtur: & quatuor temporum interstitijs variantur principio, augumento, statu, & declinatione secundum Cælorum quadrifariam partitionem: sunt enim quatuor naturę signorum, per quę quatuor fiunt anni tempora Ver, Æstas, Autunnus, & Hyems: quatuor quoq; sunt signorum triplicitates, quatuor sunt cardines Cæli. Ideo omnia inferiora secundum ordinem formarum Cælestium hac quaterna variatione diuersificantur: Quapropter quatuor sunt tẽpora anni, quatuor sunt principales ætates, quatuor cõplexiones, quatuor venti principales, quatuor mundi partes, quatuor qualitates, quatuor etiam sunt tempora morborum tam vniuersalia quam particularia, videlicet, principium, augumentũ, status, & declinatio, veluti apud medicos costat: sic etiam est principiũ anni in quo omnia generari incipiunt in Vere, & augumentu in Æstate, status in Autunno, & declinatio .s. in Hyeme: sic ætas habet principium .s. pueritiam, augumentum Iuuentutem, statum ætatem consistentiæ, & declinationem videlicet senectutem; & propterea necesse est omnia inferiora hanc variationem suscipere, & ideò ciuitates; Monarchiæ, Regna, Imperia, ac etiam sectæ huic variationi subduntur; habent ergo dominationes Regnorum & sectarum principium, augumentum, statum, & declinationem, qua de re sectæ aliquando habent declinationem secundum 4., 5. 7, 8. & 10. reuolutiones Saturni, aliquando secundum annos planetarũ maximos ex Albumasaris doctrina *libi.* 2. *magnarum coniunctionum differentia* 8.

Vnde concludere possumus his temporibus ex potentissimis constellationibus materiam fore dispositam iuxta doctrinam Galeni 1. *de different. febriũ* 4.; & Aristoteles 2. *de anima tex.* 24. actus actinorum esse in patiẽte dispositio asserebat, & omnes illę quatuor conditiones proculdubio reperientur, quas Galenus ponit *in lib. de caussis mor-*

ussis morbornm cap. 2. concurrentes in omni actione, & pasſione. Sic etiam de ortu Cometarum &ſimilium intelligere poſſumus, cum tali tempore multa ſigna in *Cælo* ſint vidēda, & Cometæ in partibus Orientalibus primo qui terrorē omnibus terrenum orbem habitantibus imponent.

*S*ed de ortu Cometarum multum dubitabamus, an .ſ. in parte elementari fierent, vel cæleſti, nam ſuperius, & alijs ſcriptis tanquam Peripateticus in elementari parte diximus. Nunc vero veritate cognita contrarium affirmamus, & confitemur in Cælo fieri: primo ex auctoritate 2. *quadrip. comm.* 54. *& in lib. de ſubtilit.* nec non aliorum recentiorum Auctorum; ſecundo ratione, quia impræſsiones, quæ in parte elementari fiunt exiſtentes in Æquatore non omnes vident: præterea nō videntur in eodem Cæli ſitu, veluti ex Aſtronomicis, & Mathematicis demonſtrationibus patet; ſed Cometa qui viſus eſt anno 1618. vbiq; habebat eandem parallaxim ergo &c. Tertio ſi Cometa eſt exalatio accenſa quomodo ab igne pauco temporis ſpatio non comburitur, cum viſi ſint Cometę ſpatio dimidii anni ac etiā totius anni, veluti de illo, quem refert Ioſephus *lib. 7. belli Iudaici* ſupra Hyeroſolimam: præterea viſa fuit trabs colore pallearis, & alba, quæ quidem materiæ raritatem ſignificabat, ergo ſtatim ab igne comburi debebat, attamen per multas ſeptimanas perdurauit, nec iudicamus diu perdurari ex concurſu aliorum vaporum, ſeu exalationum, quia ex nouis, & contraris cauſsis cōtrarii generantur vapores, & ſi forte generarentur, non in ea quātitate, nec in eodem loco, ita vt Cometa ita diu poſsit perdurare: Quarto impreſsiones, quæ in parte elementari fiunt, effectus non producunt, & licet producant, non diuturnos, nec particulares & maximos: at in Cometis paſsim ab Aſtrologis obſeruantur ipſorum motus retrogradi .ſ. vel directi, & cum vtraq; latitudine nec non poſitus nempe ſigna, in quibus collocantur, aliorum planetarum aſpectus cum eo, & huiuſmodi, iudicantq; tamquam ſi alter planeta Cometa fuiſſet, ergo non in parte elementari, de quibus infinita exempla adduci poſſunt.

Iudicarem igitur veluti Peripatetici quod materia Cometarū eſſet exalatio, ſed non apta nata comburi, quæ non ſolū tranſit tertiam aeris regionem, ſed etiam elementū ignis, & à Stellis dominantibus transferatur in Cælum, veluti Cometa qui apparuit anno 1618. in forma mucronis cum cauda longa de natura Martis, & per mathematicas, & Aſtronomicas menſuras in diuerſis, & inter ſe longinguis terrę regionibus inter ſphęrā Saturni, & octaui orbis obſeruatus eſt abſq; vlla parallaxi; præſupponens ego etiam cum D. Bonauentura

Cæli

Cęli ſubſtantiam longe aere puriorem: qui quidem dominantiũ ſtel larum radij iſtis vaporibus obuiantes eiſdem complicantur, & frãguntur, & ibidem includuntur, & Cometam cauſſant: & hæc ſentẽtia nõ diſcrepat (vt opinor) à doctrina Ptholomæi, licet ipſe opinatus ſit *lib. 2. tex. 54. quadrip.* fieri in parte elementari, dicebat enim Ptholomæus *propoſ. 4. centiloquij* anima, quæ ex natura dat iudicia iudicabit ſuper ſecundis ſtellarum, eritque eius iudicium melius quã illius, qui iudicabit ſuper primas ſtellas, quæ ſecundæ ſtellæ ſunt ſtel larum reflexiones, ſicut ſecundus radius Solis eſt radius reflexus, & ſecundus ictus lapidis eſt percuſſio reflexa, & tunc melius per ſecũdas ſtellas ideſt per radios iudicamus, qui ſunt ſecundæ ſtellæ, ſeu radij ſtellarum reflexi, & propterea tũc melius & ſecundas ſtellas iudicamus, quia iam planetæ concitauerunt elementa, & tunc effectus incipiunt patefieri. Transfertur igitur exalatio illa in Cęlum ibiq; nõ inflamatur ſed illuminatur à ſtellis, & à dominantibus color condonatur atque puriorem formam ſuſcipit.

Sed ſtatim duę occurrũt dubitationes, quarum prima eſt, ſi ſupradictus Cometa fuit de figura Mucronis, & de Natura Martis, & ab ipſo ortum habębat, ergo ad ſphęram octauam non debebat transferri, ſed ad quintam vbi Mars conſtituitur; Secunda eſt, nam ſi Cometæ fiunt in Cęlo, ergo Cęlum generabile & corruptibile, & falſa Ariſtotelis doctrina, & Peripateticorum omnium. Ad primam negarem conſequentiam, nam ſi Cometa eſt de natura Martis, nõ opus eſt vt generetur ab eodem Marte, quia poteſt ortũ ducere ab aliqua alia ſtella de natura Martis in firmamento enumerata, & in caſu noſtro Saturnus opponebatur maximæ coniunctioni, & occidebat cũ capite Algol, ſeù Meduſæ, quod ſydus eſt de natura Martis, oriendo etiam cum Aldeberan ſtella primæ magnitudinis de natura etiã Martis, vnde ex illis ſtellis præcipue corde Scorpij iudico ortum habuiſſe, præcipue cum& talis Cometa in principio viſus fuiſſet in Scorpione, & Maxima coniunctio facta fuiſſet non procul ab Antare, ſeu corde Scorpij. Ad alteram, nempe ad Cęli generationem, & corruptionem apud me nullum adeſt inconueniens, nam ſi aliqua materia illuc transferatur cælum puriorem formam ſibi condonat; ſed cum non ſit de propria ſubſtantia aliquandiu retinet, poſtea verò facta ſeneſcens paulatim conſumitur, & in nihilum reducitur, ſubſtantia tamen Cæli ingenerabilis incorruptibiliſque remanet.

Veluti patet de illa noua ſtella anni 1571. in ſede Caſſiopæ non procul à clunibus, quæ à prima ſui apparitione ſtellas primæ magnitudinis ſuperabat, ſed paulatim imminuta eſt, donec prorſus diſpaługit; & anno 1604. nouiter prope dextrum pe[illegible]ẽ Ophiuchi alia ſtel-

la admodum ſcintillans in grad. 17. min. 42. Sagittarij habens latitudinem Septentrionalem grad. 1. m. 56. viſa eſt, quæ etiam initio ſtellas primi luminis ſuperabat, ſubſequenti tamen tempore itá ſenſim imminuta eſt, vt in principio anni 1606. prorſus diſparuit, quæ quidem duæ ſtellæ quod maximum habeat ſignificatum nulli dubium eſſe debet, nam & diſtantia annorum inter apparitiones illarum Seruatoris ætatem enumerauit.

De Maxima coniunctione Saturni, & Iouis anni 1702. & mirabilia, quæ portendit. Cap. XII.

ANno igitur Seruatoris noſtri 1702. & á condito mundo 5664. menſe Maij fit maxima Coniunctio Saturni, & Iouis in prima facie Arietis in platico Martis tetragono, quapropter ex Alcabitio *differentia 5.* & Hiſpalens: *lib. primo cap. 2.* maximas Mundi alterationes perficiet, & gentium mutationes, & eo magis cum octauum Cęlum per Alphonſinas, & Coperniceas tabulas hæc circa tempora terminum continget, & in eius regreſſu quietem facturo, vbi tot, & tantæ Stellæ fixos influent radios, ob quam in Mundo maiores mutationes fieri nequeunt, ergó omnia mutabuntur, & indiuiduorum ſpecies quaſi omnes corrumpentur.

Poſtmodum phyſica intago generandas, & robur cõſecuturas indiuidua quoque fortitudinem reabſumptura profitetur, & naturæ augmẽtũ, & alterius ſæculi, ſeù ætatis principiũ, & omnia noua fieri.

Sed quia Diuinæ Maieſtatis nulli ſubijcitur imperium, ſed omnia ſuo inſociato dominatu perficit, ideò tali ſęculo perfecto forſitan Deus faciet Cęlum nouum, & terram nouam *Petrus epiſt. 2. cap. 3.* & tunc non erit ſplendor Solis, neque Lunæ ſuper nos, ſed Diuinæ Maieſtatis ſolus fulgor, & ſplendor nos reget, atque defendet, *Iſaia*, & in Monte Sion erit ſaluatio, & erit Sanctus, & poſſidebit Deus Iacob eos ex *Abdia* & in diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cęli Regnum quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet cutem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum *Daniel. 2.* & dabo vobis cor nouum; & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri *Ezech. 36.*

In hanc ſententiam venire forſan poſſumus non ſolum ex inſpectione ſyderum, per quæ rerum omnium opifex tanquam per ſigna in vniuerſali libro ſignata oſtendere ſolet; ſed etiam per alias coniecturas, & dicta clariſſimorum virorum, qui Diuino Numine afflati multa præuaticinati fuere; inter quos fuit Beatus Ioachinus, qui itá dicebat: exiet quidam ordo, quem deſignat Ieſus, qui clarebit ſex

to tem-

to tempore Ecclesiæ, ſcilicet in fine Mundi, & erit cæteris ſpiritualibus præclarior, & Deo amabilis. alludens Iesuuitarum ordini, qui quidem venerandi Patres Christi fidem tanquam tubicines paruo temporis ſpatio per regiones incognitas immo per totum terrarum orbem patefecerunt: & idem B. Propheta *l.5. concordiæ* de Clericis Cõgregationis Oratorij, quos reformatos appellamus, annuẽs dixit insurget vna noua Religio sãctiſſima, quę erit libera, & ſpiritualis, in qua Romani Pontifices potiti pace Eccleſiæ ſe continebunt, quam religionem & ordinem Deus ſuper omnes alias diliget, &c.

Relinquimus gratia breuitatis multos, & multos hoc idem aſſerẽtes, & referẽdo tantũ quod Gulielmus Alabaſtrus Anglus dicebat *in lib. de Apparatu in Reuelationem Ieſu Chriſti cap. 11.* tali pacto.

Quadruplex hic Eccleſiæ Chriſtianæ tempus deſignatur, vt ſciamus per quos gradus ad dominici aduentus expectationem diſponamur. Singulis autem temporibus quatuor annorum centuriæ reſpondent, quæ à Chriſto nato completæ ſunt.

In primo quaternario Chriſtus ſemẽ verbi Euangelij tanquã introductionem ad audiendum Diuinæ veritatis vocem diſperſit: poſt cuius mortem, & reſurrectionem illam mirabilem, germinauit prædicatio Chriſtiana, & multas nationes in ſcholam hanc, & auditoriũ Chriſti induxit: in quibus per fidei aſſeſſum radicata Dei admonitio, excitauit deſiderium percipiendæ vocem veritatis.

In ſecundo centuriarum quaternario molle illud Chriſtianæ pietatis germen in ſpicæ firmitudinem ſuccreuit, cum rerum diuinarũ doctrina, & ſcripturarum expoſitio per conciliorum canones, & ſanctorum patrum lucubrationes definita eſt.

In tertio quaternione totius Chriſtianę doctrinę corpus quoddã, & integra conſtructio cæpit confici, ſicut per ſeries granorum diſtinctas in culmo frumentum diſponit.

Vltimo quaternario poſtquã tota veritatis Chriſtianæ forma expanſa, definita, & pulchrè ordinata fuit; cœpit per variorũ hæreticorũ, & nouiſſime per Proteſtantium temeritatẽ cadiua quadam impietatis maturitate extra veræ fidei limites elabi: cum cõtra Catholici voce diuina moniti ne quouis prætextu egrediantur, ſub primis fidei folliculis, & inuolucris meſſoris aduentum præſtolantur, & præterea ſuperiori ſęculo admirabilis quidam perfectæ ſcientiæ ardor in hominum animis accenſus eſt, adeò vt non ſolum artes, & ſcientiæ humanæ expolitæ iam ſint: verum etiam omnes ſacræ Scripturæ libri, & religionis myſteria, & totius hiſtoriæ Chriſtianæ partes exactiſſimo ſtudio diſcuſſa, & perpenſa ſint; vt ipſe humanæ Naturæ impetus per omnia ſciendi adminicula diſpoſitus ad altiorem Dei cogni-

gnitionem iam prômineat.

Hæc autem cum nunc euenisse videamus, deinceps videant pij, & prudentes, nunquid nõ & proxima parabolæ huius pars iam impleri incipiat, cum abscisso exteriori verborũ cortice, & retecto nouo hoc sapientiæ latentis thesauro; disponuntur Catholici, vt intentionem à vocibus externis ad res interius significatas, & a superficie vmbrati li ad ipsam veritatem conuertant: quãdoquidem appropinquet dies domini, in quo extra noctis & velamentorum inuolucra, nuda rerũ omnium veritas examinanda sit, & clare demonstranda.

Atq; hi sunt quatuor illi menses, de quibus in Euãgelio Dominus ait *Ioan. 35.* Nonne dicitis quia adhuc quatuor mẽses sunt & veniet messis? Ecce dico vobis leuate oculos vestros & videte regiones quoniam iam albæ sunt ad messem Quo in loco satis clarum est non loquutum esse Christnm de campis, & messe vulgo intellectis: sed de illa messe qua fideles ab vmbraculo verborum ad clarã rerum ipsarũ considerationem, & intelligentiam ducerentur. Et per regiones tũc albas ad messem intellexit synagogam Iudæorum, quæ cum Christi in carne vẽturi doctrinam sub verborum & cerem oniarum folliculis inclusam, magnæ scientiæ incremento protulisset: in Christi aduentu à legis velatæ consideratione ad Christum legis frumentum, & fructum intelligendũ adducenda esset: & in nouum Ecclesiæ Christianæ horreum reponenda.

Occasione ergò sumpta ex vtriusq; Ecclesiæ, & vtriusq; aduẽtus sui similitudine, signum quoddam ænigmaticum subintulit: quo nouissimi sui ad iudiciũ aduentus coniectura aliqua veritati vicina facienda esset. Dupplices itaq; Ecclesiarum regiones commemorauit duplicẽ fidei segetem & duplicem sęculi consumanti messem, & primum messis tempus tunc adesse significauit, secundũ verò post quatuor menses futurum (idest) quatuor centuriarum quaterniones. & sicut Iudaicarum intentionum aristæ, quibus in Christum sub aceribus legis obducta ferebantur amputandę tunc erant, vt nõ deinceps extenderent se ad vmbrarum legalium contemplationem, sed ad ipsum Dei filiũ extra legem reuelatum: ità in 2. Christi aduentu piæ fideliũ Christianorũ sub fidei enigmaticę, & vitę sanctę conformari imagine velatã sustinẽt, finali iudicio ad clarã Dei visionẽ rapiẽtur.

Et quamquã in singulis illis centuriarũ mẽsibus fuerint aliqui, qui audire tũ primũ inciperẽt: & alij, qui per maiorẽ scientię altitudinẽ fidei Christianę & formã definirẽt, & ordinẽ distinguerẽt, neq; vnquã defuerint caduca Hęreticorum grana; tamen singulis his temporũ segmentis maxime proprię sunt, quas assignaui notiones. Quẽadmodum in illa 4 animalium quadriga, cuius apud Ezechielem, &

Apo-

Apocalypsin mētio fit, licet vna singulatim euidentior fuerit facies: omnium tamen formę omnibus communes fuerunt.

Et si secundū Etymologię Gręcę rationē animaliū horū nomina dissoluamus, apte ad rem pręsentem quadrare deprehendemus.

Nomē .n. Leonis parabolicè significat vidēdi vel intelligēdi impetū. Bos vocis dispositionē couenietē. Homo perficiētē propositionis cōsequētiā. Aquila aspirationē ad res germanas parallelas, & veras.

Quatuor autē istę animi actiones sūt omniū aliarū primordiales, nā sub intētione simpliciter apprehendendi, & terminos simplices mutuo referendi, & rationabiliter adęquādi res relatas, & suspensè cōstituendi res adęquatas, omnis naturę rationabilis actus reducitur

Sic in primo centuriarū mense vel quaternione egressus est Leo.s. desideriū simplex audiēdi verbū Dei, & suscipiendi fidē Christi, qui vitulā Romani Imperij discerpsit, & sub Euang. obediētiā prostrauit

In secundo Bouis mugitus auditus est, quādo de formulis loquendi in rebus diuinis, & prędicationis Catholicę ordinata dispositione per tot aduersantium conciliorum strepitus tandem cōuentum est.

In tertio hominis vultus, & dignitas apparuit cum quęstionibus circa Trinitatem, & personam Christi sopitis rationabilis totius religionis forma concinnata est, & demonstrata.

In quarto emicuit Aquilinus impetus, cū rebus circa religionem rectè sapiēterq; dispositis, ingeniorū ardor per subtiles scholarū disquisitiones versus et rerū exactā notitiā se effudit: & verisimilitudinis alis suspensa ad veritatis soliū subuolare tentauit: & cōtra per vitiosā Aquilę imitationē hęreticorū miluus colūbā Christi lacerauit.

Ità per quatuor harum quadrigarum orbitas tota temporis ratio à Christo nato ad nos decurrit, vt deinceps thronus glorię in medio animalium reuelandus appropinquet.

Et quoniam prophetę veteris testamenti non solum de Christo & regno illius vaticinati sunt, verum etiā viuę eiusdem figurę fuerunt; si secundum illorum numerum ętates à Christo ęstimamus, ęquales nūc esse inueniemus: vt 16. hę annorum centurię pręcurrentes imminentem Christi aduentum per illum sanctorum prophetarum numerum expresse videantur.

Quod si receptā eorū distinctionem secundum Hebręos in 4. maiores, & 12. minores obseruemus, reperiemus vtrosq; secundū nominū etymologias, & breues Christianę Ecclesię annales cōtinuare, & mirabiliter etiam inter se, & cum opinione hac nostra conspirare.

Nomen enim Hosę (vt à minoribus primo incipiamus) significat veritatis prędicationem, & eadem vox si retro loquatur, facit persecutionem concurrentem.

Ioel

Ioel directa lectione est Complacentia fidei Diuinę; & retrorsa Indeterminatio circa Deum, vel Christum.

Amos Populus recedēs,& retro Adęquatio interioris. Atq; hic ternio ad primū centuriarū mensem pertinet, in quo fuerūt Prędicatio Christianę religionis per magnā orbis partē, & persecutio cōcurrēs.

2. Gentium fidelium obedientia in Christum, & indeterminatio hęreticorum circa diuinitatem.

3. Recessus Populi Iudaici, id est, Ecclesię carnalis, & adequatio Populi interni (id est) Ecclesię Catholicę loco illius.

Sequuntur in 2. Quaternioné Obedia, cultores Christi; & retro, conciliorum inquisitores, & obseruatores.

Iona discerptio diuinitatis,(& contra)demonstratio personarū.

Michael veritatis vel definitionum violatio, & retro conciliorū collectio. Hęc scilicet in illam inciderunt ętatem, Christianę fidei publica professio, & religiosorum Monachorum propagatio. Contentiones circa Trinitatem,& personarum demonstratio. Canonum violatio, & nouorum conciliorum collectio.

Deinde ueniunt Nahum. Quies feruorum circa Trinitatem, & Contractio deletioque imaginum.

2. Abacuk amplexus imaginū,& initiū maledicti schismatis.

3. Zephania disquisitio circa pręsentiam Christi, & Photij schisma. Nempe cum sedatę essent omnes circa Trinitatem personarū,& Diuinitatem,& Christi naturas controuersia, subito ebulliuit ex inferno Iconomachorum hęresis, quę refutata est per deuotionem Catholicorum pro imaginibus pugnantium. Inde cępit schisma inter latinos,& Gręcos, que in Photio ad apertum bellum prorupit. Denique damnabis illa, & blasphemia Berengarij controuersia de pręsentia Christi in Sacramento Ecclesię turbas dedit.

In 4. Centuriarum quadriga venit Haggeus. Circinatio corporis Christi,& dolorum parturitio.

Zacharias: Excogitatio documentorum,& ingeniorum subtilis contemplatio.

Malachias; prędicatio Christi,& subtractio Alamanni. In superiorem etenim quaternionem inciderunt corporis Christi mystici, & Ecclesię Christianæ contractio facta per Turchas: item circinatio Mathematica quędam eiusdem doctrinę facta in scholijs, & festiuitas, & exaltatio Corporis Christi: altera verò parte initia dolorum nata sunt in pręcursoribus Antichristi hęreticis, & subuersione Ecclesię Græcę, pręterea tot documentorum, & experimentorum excogitatio, & scholasticę disciplinę subtilitas peculiares quędam sūt qui superioris notę, & ornamenta, Nouissime prędicatio Euangelij

inter

inter Orientales,& Occidentales Indos, & apoſtaſi Lutheri Alamā-ni,res maximè memorabiles apud maiores noſtros acciderunt.

Atq; hęc hiſtorię Chriſtianę abbreuiatio ſecundū prophetarū no: mina directè retrogradeq; lecta occurrit. Quod ſi eadē nomina di-rectè accepta inter ſe cōponūtur, aliā earundē rerū epitomē faciūt.

400. *Hoſe, Ioel, Amos* Dei Euangelio ſalutari complacet populus alienus.

800. *Obedia, Iona, Mica* Peruertit mendacijs Diuinitatem Græcia, antequam corripitur.

120. *Nachum, Abacuc, Sophonia*
- Adducit perſecutionē Amplexus picturarum viſibilium faciei Diuinæ.
- Adducit obſcuritatem hæretica imaginatio ſuperficialis conuerſionis Chriſti.

1600. *Aggi, Zacharias, Malachias* Circuibit prædicatio domini ab America ad Moluccas, eundemq; ſenſum breuiculum reddunt 4. Maiorum prophetarum nomina, ſi per diuerſas nominum ſuorum repetitiones diſponantur.

Eſaias Euangelio Chriſti delectabitur turba, quæ peruerſa fuerat.

Ieremias Traijciet mendacijs diuinitatem rebellatrix ante veritatis conſtitutionem.

Ezechiel fulgurabit perſecutionem Conſtantinus Copronymus in amplectentes ſimilitudines Dei.

Daniel Indicium Dei migrabit ad Indos hos & illos.

Ex iſto autem vtriuſq; teſtamenti conſenſu, quo hiſtorię Eccleſiaſticæ ſeries per diſtinctionem quaternariam ad annum 1600. deducitur: quid reſtat niſi vt in hac conſequenti centuria domini ad iudiciū venturi præſentiā ſoliciti expectemus. Cuius ſubitā in modum fulguris apparitionem etſi per hos 1000. annos ſalubri cū timore, & cautela Eccleſia Catholica expectauerit; nūquā tamen hactenus tanto rationum tā fortiter concurrentiū ſtrepitu à quodam admonita eſt. Et certe futurum eſſe tempus illud, quando clamor de aduenięte ſponſo in aures hominum ſpargendus ſit, ipſa veritas in Euangelio teſtatur *Matth.* 25. 6.

Præterea cū ſtatuta illa, quæ Nabuchodonoſori Regi in ſomnio apparuit, omniū cōnſenſu quatuor Monarchiarum ſibi inuicem ſuccedentiū cōpagem ſignificet. reſtat vt nouiſſimo illius tempore Romani Imperij in decem partes fiat diſtributio vel diſtinctio: quod iā diù adeò manifeſte accidit, vt mirer id alijs inobſeruatū hactenus tranſijſſe. Quemadmodū.n. ſtatuæ illius pedes in decē dignitos protenſi

tensi sunt; ità Germanorũ Imperiũ à Cõrado Imperatore in decem, quas appellant colũnas, olim diuisum est, quibus magnę illius Monarchiæ ruinã sub finem sæculi minãtis ędificiũ sustentaretur. Hic aũt illorum numerus est, sicut Polychronico, & apud Ortelium habetur, 4. Duces, 4. Marchiones, 4. Comites prouinciales, qui appellãtur Lantgrauij, 4. Comites castrenses siue Burgrauij, 4. Comites Imperij, 4. Barones, 4. Nobiles milites, 4. Ciuitates, 4. Villæ, 4. Rustici. Et quãquã à sequentibus Imperatoribus mutatio aliqua in his ordinibus facta sit, eadem tamẽ distributio in denariũ quaternionum numerũ, tanquã per recollectionem quatuor Imperiorũ obseruata est. Vt esset 4. Marischalchi, 4. Lantgrauij, 4. Burgrauij, 4. Serui, 4. Milites, 4. Abbates, 4. Venatores, 4. Viculi, 4. Montes Imperij, 4. Officia hæreditaria Ducatus Sueuię. Cũ ergo Romani Imperij status non solũ ad plantã pedis, verũ etiã ad ipsos digitos reuolutus sit; manifeste docet nullam superesse rerũ in illa monarchia alterationem ante Christi imperatoris aduentũ. Quia in diebus regni illius diuisi & diminuti, lapis ille fulmineus totius sęcularis potentiæ statuã confringet & nouam ęternitatis R.P. inchoabit.

Sed & Abraham illud oraculũ, quod 3. cap. explic. potest secundũ hanc chronologiæ rationem etiã ad Christi iudicis aduentum extendi: vt ità verborũ sensus construatur: Generatio descendens à Maria manebit subdita peccato annos 1630. hunc .n. numerum faciũt literæ illæ, cheth, mem, ſſin. lamed. ſſin. nam duplex ſſin sunt 600. & cheth finale 600., & heth. 400. & lamed. 30. vel si litera lamed non pro numero accipiatur sed prò verbo significante vt exponatur annis 300. supra 1300; egreditur numerus 1600. qui numerus etsi iã amplius 20. transierit, nihil tamen a prophetiæ veritate adhuc delibat: quia dicitur quod post finem annorũ ab illa peccati seruitute eripiendi simus: tamquam reliquum senescentis sęculi tempus iudicio Dei expectando destinaretur, sicut prędictio illa de primo Christi aduentu, quod non auferretur sceptrum de Iuda, neque dux de fęmore eius donec veniet Christus; non intelligitur quod in ipso anno regni Iudaici deficiẽtis Messias adueniret (qui 29. Herodis natus est) sed quod illius signi consũmatione facta, expectatio populorũ deinceps in Christum nasciturum suspenderetur.

Huc accedit Religionis Christianę per vniuersum orbem iã facta prędicatio, quod tanquam manifestissimum aduentus sui appropinquantis signum dominus nobis reliquit: neq; enim necesse est vt vel singulis nationibus particulatim innotescat, vel vt fideli assensu ab omnibus suscipiatur: quia quod publica hominum fama vbiq; gentium vulgatur, verè dicitur per vniuersum orbem prędicari, & quod

in testi-

in testimonium narratur, non tam conscientia audientis, quam obedientia credentis veritatis effectum sortitur.

Nunc etiam finem assequuta est reuelatio illa, quæ S. Brigidæ à Domino olim data est. Quod postquam nationes quędam infideles, quæ adhuc restabant, ad fidem conuersæ essent, & iustitia, & clerus conculcaretur, tūc venturus esset Antichristus. Quorū vtrunq; quando alias? aut quomodo magis impleri poterit, nisi generalis Apostasia contingeret?

Postea: cum itaq; in hoc reciprocantiū cogitationum freto sic æstuarem, accidit Deo (sicut opinor) ducente, vt in locum quendā scripturę inciderē, vnde mirabilis intelligentiæ lux, & methodi huius cōfirmatio, & iudicii appropinquātis admonitio effulgere videretur: 15. autē 22. prouerbiorū vers. *19.* vsq; ad 24. habetur: quorū verborū sententia secundū naturalē ipsorum significationē absq; vlla dictionum diuisione, aut transpositione, directa, & æquali serie ita incedit.

„ Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum, & cor tuum appo-
„ nes ad scientiam meā. Quia verba vaga si obseruaueris, ea in ventre
„ tuo disponentur simul super labra, vel sermonem tuum.
„ Vt sit in domino fiducia tua notū facio tibi *dies iræ venit*. Nonne
„ scripsi tibi tria (verba) in sensu ineuidenti, & sensu euidenti, vt faciā te
„ scire certitudinem verborum veritatis, & applices verba veritatis
„ expositionibus tuis?

Per inclinationem auris intelligitur attētio ad locutionem pręter vulgarem eius sensum. Per ventrem intelligentia narrationis. Atq; ita manifestū est, quod pręcipitur cuidam vt animi intentionē a directo, & naturali impetu, quo fertur, in verba ita declinaret, vt animaduerteret verba sapientum (idest) ea, quę non sunt obuia nisi sapientibus: & deinde vt in sequentibus sententijs significationē etiā vulgarē vocum obseruaret, quia si intelligibiliter obseruentur, continuatū haberēt ductū sententię illę, quę vagę, & inter se incōpositę videbantur.

Deinde ad confirmādum illi animum significatur appropinquare diem iudicij; & ne inobseruata transiret sententia hæc sequenti versu velut cōmentario illustratur. Quod tria illa verba (dies iræ venit) scripta sint tam sensu mystico quam literali: vt inde sciatur, quod in (verbis veritatis) (id est) declarantibus exterioris verbi sensū mysticum, & veritatē (sit certitudo) (id est) quod re vera sit talis ratio, qua veritas interna scripturę per ipsa verba exprimitur, vt deinceps securius pergat (applicare vel conuertere verba veritatis) id est interpręrationis analyticę (expāsionibus vel explicationibus suis) neque vllā aliam interpręrationē loci huius secundū verba integra poterit quis comminisci.

Si quis ergo vel de expositione ista, vel de toto hoc genere interpretandi quærat, quare prius non innotuerit? euidens est responsio, quod sicut dies iudicij non aderat ante 1000. ab hinc annos, ita neque methodus hæc, quæ in illius significationem preuiam reseruata est, prius aperiri debuit.

Possent & alia argumenta in hanc rem afferri, sed quia rudes tantum lineas vaticinij his in libris ducere decreuimus, propterea exactiorem harum rerum tractationẽ alibi reiicimus. In quibus si quid erratum contigit, quod diuinis eloquijs Patrumq; scitis contrarium sit, totum cassum, irritum, ac nullum esse censeo, profiteor, & volo ad laudem DEI Omnipotentis, & Virginis MARIÆ.

FINIS.

EPISTOLA
DE INVENTIONE NOVÆ MEDICINÆ CÆLESTIS
IO: FRANCISCI SPINÆ
PHILOSOPHI, ET MEDICI RIPANI.
AD PERILLVST. ET ADMODVM REVER. D.
D. IACOBVM ANTONIVM
Ex Nobili Familia Medicorum.



MOR meus, & indeficiens (candide Medicen) erga medicinæ studiũ, cæterasq; mundanæ Philosophiæ scientias potius esset vituperandus, quã laudandus, dummodo hæc omnia à me rite ordinata nõ fuerint ad amorem creatoris: nam vniuersa mortaliũ studia, quę non fuerint ad Dei charitatẽ ordinata, prorsus vana, futilia, & omni christiano cõtemmenda sunt; & cũ mens nostra salutis proprię debeat esse memor, mundanis studijs nunquam debet inhærere, sed illis ad ministerium potius vti, & seruitutem nõ continue, sed cum fuerit necessarium dumtaxat per vices Medicinæ, Philosophiæ, & sapientiæ spiritualis, per quam amando perducitur in Dei cognitionem, & in amoris dulcedinem cognoscendo roboramur.

Sumus quidem mortales, & vrgentibus naturæ statutis necessario morimur omnes, hoc solum nobiscum ferentes quod discendo, & studendo

dendo in cognitione, & amore sũmi boni creatoris nostri perfecimus; cæterorũ vero fructus omnes studiorũ sicut nebula cũ labore habito euanescunt.

Omnis ars humanitus adinuenta, quæ diuinæ non cohæret scientię, licet in hac vita nomẽ sibi scientiæ vsurpet quantũlibet celebrioris habitũq; assequatur demonstratiuũ, tam diu potest manere in homine, quam in eo tẽpore cum ratione vita: cessat autem penitus cum moritur homo, & cum cæteris vitæ actionibus expirat.

Sed sat erit nobis hoc in loco cũ alijs scire nequaquam, qui multa scire cupiunt eo tantum fine vt sciant, & fructus suę curiositatis vnũ, & in nihilo consistentem recipiunt; nec propter commodum temporale, vt videlicet diuitias honoresq; assequamur, nec vt ab hominibus sciamur sed scire cupimus, vt in lege Domini edificemus, instituãusq; proximum, & ardentius ipso auxiliemur, vt saniorem vitam conseruando dum mortali aura fruitur Deo ardentius seruire possit.

Pro cuius salute, (Deo ita opitulantę) licet multa pręsidia a nobis *tom. 2. & 3. Medicinæ Cælestis* sint adinuenta: hoc vnum siquidem æternum, & incorruptibile adinuenimus, de quo disserere, & aliqua in tui gratia (carissime Iacobe Antoni) dicere non pigebit, præcipue cum tantam concernamus variationem in elementorũ, & mistorum natura, & inspiciamus, quod non tantũ vniuersales canones, & communem medendi modum scire oporteat, verum etiam maxima Philosophorum, & peritissimorum medicorum secreta sciendo, & operando, elementaq; a partibus corpulentis indigestisq; purgando percipere oporteat; qua de re quidam desperatiõne ducti scientias naturales elementorum, & mistorum reliquerunt asserentes res esse in continuo motu ac fluxibilitate, adeo quod verã firmamq; scientiam eorum propter continuam mutationem concedere non poterant; ideo Aristoteles & veri sapientes hoc argumento perterriti concluserunt scientias tantum vniuersalium esse 2. *Posteriorum cap.* 11. *sets text. 27., & 2. de anima text. 6.* per quæ postmodum particularia aliquo modo imperfecto dignoscuntur, ex quibus consistentibus sub vniuersalibus propositiones vniuersales componuntur, & ideo cum sciuerint omnem bilem esse calidam, concedere oportet hanc quoq; particularem incendiosam esse, licet propter varias humorum commistiones posset esse minus vel magis calida, cuius permistionis præcisa quantitas ignoratur, quapropter particularium non veram esse scientiam concluserunt; & cum medicina practica non hominem in vniuersali siue speciem ipsam in sanitatem conducere nititur, sed indiuidua veluti Socratem, & Platonem, quæ quidem particulares naturæ propter varias commistiones elementorum, & qualitatum im-

perfecte sciuntur *Galen. 3. method. 7. & 9. method. 15. & passim alibi*

Ideo Medici omnes cum Auicenna conantur, vt particularis vnius naturam cognoscant, multa particularia cognoscere; quapropter 1. *quarti lib. tract. 2. cap. 5.* vt naturam bilis, vel alterius humoris facientis febrem cognoscat, conatur Auicenna multa particularia aggregari, dicẽs, scias quod acceptio significationum febrium est ex regimine antecedente, & quomodo fuit, & ex dispositionibus antecedentibus, & ex regionibus, & temporibus, & ex ætate, & cõplexione, & ex pulsu, & vrina, & vomitu, & egestione, & fluxu sanguinis nariũ, & ex dispositione febris in rigore, & sudore, & qualitatis caliditatis, & ex parosismis, & ex dispositione appetitus, & ex dispositione anhelitus, & ex coniunctis, sicut ex dolore capitis, & vigilijs, & alienatione, & inquietatione, & alijs, febribus enim adsunt accidentia, ex quibus significantur dispositiones, de quibus sunt accidentia significantia magnitudinem earum, & ipsarum paruitatem sicut qualitas caliditatis, & quantitatis ipsius; & de ea est mordicatiua vehementer, ex quo prius inuadit vsq; ad finem suum, & de ea est quæ mordicat in primis, deinde minuitur propter resolutionem materiæ, & lenitur & de eis sunt, quæ mordicant, & de eis sunt, quarum caliditas est humida, & sic de multis alijs accidentibus &c.

Ex Auicennæ dictis manifestissime patet quantã varietatem particularia habeant :.s. per regimen præcedens, per regionem, per vrinam, per pulsum & sic de singulis decipi possumus, quorum errores à nobis enumerantur in quodam tractatu de Præceptis Astrologicis in vsu medicinæ *in proemio ad Medicum Tyronem*, qui quidem fuit præteritis annis Bononiæ impressus.

Et cum assidue videamus (veluti tali loco dictum est) antequam humidum radicale arefiat, & consumetur mortem accidere, profiteri cogimur quod lapsus, & mortes ęgritudinum interficientium regulari non possint per has cõmunes medicinas propter particulariũ rerum varietatem, ac etiã propter medicinas indigestas non potentes corruptionem expellere, & reliquos humores corrigere.

Qua de caussa vt tanti naturę particulares lapsus regulari possint, oportet inuenire medicinam, quæ minime lædat, sed mirabili quadam virtute humores noxios expellat. Ideo cum Galeno, Auicenna, & alijs Medicis profitemur, quod si aurum, & lapides præciosi, veluti Topatius, Sardonius, Iaspis, Iacintus, Granatus, Crisolitus, Chelidonius, Achates, Berillus, Calcedonius, Margaritæ in digitis gestati nostris corporibus prosunt, & cõtrita seu limata cordis tremorẽ curant, & manię species naturam corroborando *Auicenn. lib. de virib. cord.* Attamen tanto magis si absq; ipsorum formæ destructione in li-

quorem

quorem absq; corrosiuis conuertantur, poterunt morbos incurabiles ad sanitatem conferre.

Nec mirum si antiqui sapientes non solum dicebant, quod metalla & lapides sicut elementa, & animantes quodam suo spiritu aliquid sibi simile generare posśint; licet spiritus is eis crasśiori materia cohibeatur, nam si rite secernatur, secretusq; conseruetur, tamquam seminaria virtus poterit sibi simile generare; sed etiam talem spiritum ex auro, vel alio rite tractum, atq; seruatū Philosophorum lapidem euadere, quem elizer Arabes Astrologi appellant.

Et ad medicinam nostram redeuntes dicimus quod ex medicorum omnium probatione, quo magis aliqua medicina fuerit cōposita ex pluribus formis per quandam simplicium vnionem, & compositorū resultet quædam tertia forma potens vniuersaliter multos ægros ad pristinam sanitatem conducere.

Quapropter cum quādam vniuersalem medicinam componamus ex multis, ac appropriatis expertisq; rebus, ex lapidibus præciosis, auro, & ex multis ac nobilioribus naturæ simplicibus compositisq;, per virtutes, quas summus rerum conditor ipsis contribuit; resultet tandem per optimam contusionem vna forma omnium vniuersalis simplicisśima, & suauisśima; nam omnia bene commista, confecta, digesta, & ad quoddam extremum fermētata, alligata, actiuata, sublimata, excorporata, vt sint bene contemperata, & stellificata, nec non essentialiter constantia, ac sigillata, inuariabili quadam quinta essentia rotētur, ac qualificentur, proculdubio vnam quintam formam cælestem acquirent; nam separata terra ab igne, spissum à subtili, & ternarius iam sibi reditus cū ingenio, & suauitate magna à terra conscendet in Cęlum, iterumq; virtute, & pulchritudine decoratus reuertetur ad terram, & recipit vim superiorem, & inferiorem, eritq; iam potens, & gloriosus in claritate vnitatis, tamen aptus producere numerum, & fugiet omnis obscuritas.

Quę medicina an fuerit cras velut hodie, & vltra vsq; ad summum temporis continens omnem eius primam, & simplicium naturam, & virtutem, quam propter Adæ peccatū, ignorantium defectum, pesśimorum hominum blasphemias, innumerabiles, & vehementisśimas circumuoluētis mundi influentias, in contrarium mouentes, & propter mutuam elementorum actionem, & continuum materię inferioris influxum de suo statu denudatam, & corruptā, per asśiduas putridas à terra exhalationes, & propter aquā diluuii pinguosam terræ humiditatem sua salsedine destruentē ammisit: consequi valeat.

Nobis vt virtutes iam infectas redimat, ita ab omni corruptione purgantibus, & omne illud, quod ad ægros sanandos, conseruandos,

& quicquid in ea cęleste erat, ac esse possit atq; diuinum renanciscatur de forma in formam, de claritate in claritatē vsq; ad supremum naturæ gradū, in quo omne quod volumus ad ægros sanandos, & sanos conseruandos comperiamus, per virtutem, & essentiam vniuersalem ex pluribus virtutibus actiuis, & essentialibus compositam per potestatem naturæ regulatæ nostro artificio proportionato diuinæ armoniæ cælesti, & calori naturali regulato, ac concitato ab optima Cælorum temperatissima irradiatione quemedmodum in radicibus temporum omnia maxima virtute decorabantur, & perfectionis robore fęcundata erant, ipsa vero per congruas tēperationes elementorum in vnū plurima conglomerans est confecta, & reunita in unā quandam naturā cælestem reducta; quia sicut omnia vniuersalia, & particularia ab vno solo independente Deo sunt creata, sic in vnam quandā naturam 5. cælestem tanquā ad vltimum finem reducuntur naturam naturaliter impassibilem atq; æternam, & immortalem, & iterum ad vnū solum spiritū Deum omnium patrē, atq; creatorem, & creatarū rerum fautorem eriguntur. Sic etiam hæc medicina ad cælestes virtutes redacta, & ad diuinū spiritū applicata quę sua simplicitate atq; sublimitate ab eodē gubernatur, & virtutem cōsequitur.

Talis igitur medicina splēdidior est auro, vento subtilior, atq; igne fulgura in actione trascendens: hinc est quod absq; materię digestione, & syrupporū tarditate, quæ multoties caussa mortis est, omnes ægritudines curat, ad intima bilis morborū poris intrinsecatę sic cęterorum noxiorū humorum tanquā ensis lignū sub lana incidens nō incisa lana, & fulgur metalla in bursam absq; loculi maculatione fundens accedit, ipsaq; bilem expellēdo humores crudos, indigestos, viscosos incidendo diuinitus expellit, neq; robur, & vires exhibens.

Nec dubitare debes (candide Medicen) quod in rebus elementatis sit virtus cælestis incorruptibilis, quia sicut dupplicē sapiūt naturam elementorū .s., & cælestem, etiam ex Mesue *canon. vniuer. dist.* 1. *in princ.* elementari natura remota per distillationes, solutiones, ac separationes cęlestis ibi prius sopita ab elementorū carceribus elata luceat. Et ideo profiteri oportet medicinā vniuersalem compositā ex pluribus formis particularibus, ac etiam ex natura cælesti, quę nō sophistarū fallacia, nō Empiricorū insania, nec aliqua vulgari temeraria comperta est, sed maximis secretis, ac venerandis verorū sapientissimorū antiquorum patrū vigilijs, & speculationibus post nostra diuturna studia, & ingentes labores, & vt Virgilius dicebat *1. Æneid.* per varios casus, & per tot discrimina rerum, nostris laboribus seminarias virtutes diuersimodę dispersas in vnā formam cōmunem vniuersalē coniungere conati fuimus, quę in huius mundi grauidi tenebris,

nebris,ac elementorum fæcibus latitabant, vt hominibus seruirent, quoniam inferiora cõsentanea sunt superioribus, & vim diuinitatis à superioribus imaginibus menteq; regina mundi, & ab inuisibilibus, ęternisq;, atq; incõmutabilibus diuinæ essentiæ rationibus tã viuos, & sensuales radios, ac vim ita magnificam in inferiora suscipiunt.

Non enim radij cælestes inanimati sunt sicut lucernæ radij, sed viui sensualesq;, tanquã per oculos viuentium corporum emicantes, dotesq; mirificas secum ferunt ab imaginationibus mentibusq; cælestium: vim quoq; vehementissime ex affectu illorum valido, motuq; corporũ rapidissimo, ac proprie maximeq; in spiritum agunt cælestibus radijs simillimũ, & veluti *tom.* 1. *med. Cælest.* diximus multiuagis Cęlorum flexibus, & habitudinibus cęlestia infinita dona terris largiũtur, multaq; vim patiendi operandiq; protrahunt; varięq; rerũ manant proprietates.

Ex specifica etiam corporalium rerum materia per ideas specificata ad tales formas secundũ quod sanctissima creatoris potestas singulis originaliter propter suã bonitatem est insita; tũ rebus gignendis ac omnibus virtute fecundis ad diuinos suos peragendos actus, & taliter prorumpuntur, atq; germinantur, & in lucẽ veniunt secundum ordinẽ creatoris, vt ex illis medicinam maximam valeamus elicere, quę sit senescentibus reiuuenescentia, morientibus reuiuificatio, paraliticis curatio, sterilibus fæcunditas, cęcorum illuminatio, leprosorũ mundatio; strãguriosos, ictericos, hidropicos, pthisicos, asmaticos, & suspiciosos omnes curãs; omnibus febricitãtibus, surdis, dissentericis, iliacis, mestruatis, parturiẽtibus saluberrima medicina; Artheticos, guttosos, vulceratos, cãcrosos, cardiacos sanans; venenatis, pestilentiatis, obliuiosis, lunaticis, epilepticis, maleficiatis cõsumptisq; derelictis, ac infirmis omnibus saluberrima medicina, verissima sanorum conseruatio, preciosissima diuitum merces, incõparabilis principum thesaurus; cõpertam per mirabilẽ philosophiã cum Astrologiæ catenato nexu, quã omnipotẽs creator intimis, & infinitis suis intellectualibus virtutibus nos illuminãdo tradidit perficiendã, vt virtutes totius medicinę in particularibus dispersas, debiles ac confusas in quãdam verã vnionem quadam vniuersalitate cõiungere, & reintegrare valeamus, sine qua profecto physicus nullam potest perficere curam, quin per nostra iam paulo superius, & alibi enarrata accidentia particularibus imminentia multas committat errores.

Nam permixtione rerũ hanc diuinã medicinã componẽtium se se nostro cõpatiẽtium Arithmeticis proportionibus, ac quadrangulorum quadratorũq; circulorum compositionibus; & numero, ordine, pondere, & mensura; numerus .n. ordine constat, & mensura; ordo

quoq;

quoq; ſine numero & mẽſura eſſe non poteſt; menſura autem & numero conſtat & ordine: ſic etiam moderationibus cæleſtiũ ignium, ac etiam noſtri per artem collati, & frequentibus diuinę mentis irrigationibus omnis particularis virtus vere corrũpitur, & forma generatur cõmunis, inſurgit operatio mixti, & profirmantur operationes ſimplices incõpoſita, omneq; emendatur corruptũ per vberrimã creationis gratiam, qui nobis humanis tribuit, vt ſcientias terrenas, ac cęleſtes intelligamus tribuens ingredientibus noſtrã medicinam, ac formæ reſultanti tantã gratiam, atq; virtutẽ, vt in ea omnes virtutes, & proprietates, & potentię ſint ſyrupporum omniũ, Theriacæ, mitridati, cæleſtis mannæ, olei Philoſophorũ, potabilis auri, omnium diſtillatorum, & potabilium rerum, lapidis veri Philoſophorum non corroſiuã naturã habentis, præcioſorũ lapidum, vere aquæ ardentis, quintæ elementaris eſſentiæ, mundarum rerũ ſublimatarũ, ac excorporatarum, & ad ſpiritualitatẽ redactarum, & aliorum quorũcumq; vnguentorum, & pigmẽtorum, & purgantiũ omnium, electuariorum, confectionum, antidotorũ, ac bezoarticarum, & ſalutariũ medicinarum, atq; ciborum omniũ: particulares quoq; formæ ſubſtantiæq;, & virtutes omnes numero, & pondere, & menſura certa cum omni cõpleta inferiorũ ad ſuperiora, & ſuperiorũ ad inferiora, & ſenſibilium ad intelligibilia optima comparatione correſpondentia, ac refractione, compoſitione, vnione formã vnam cõponentium ſimpliciſsimã perfectiſsimã per diſperſam redemptã virtutem, ac corpulentam infectam per noſtrum phyſicum artificiũ inſtauratã, ¦corroboratam, & in naturã cæleſtem redactam per gratiam ſapientiſsimi creatoris; & D. N. Ieſu Chriſti, qui omnia in ſua poteſtate habet, ad cuius nos ſimilitudinẽ pro viribus fideliter oportet cõformare, ipſe .n. eſt ſapiẽtia Dei Patris, ¦ipſe eſt fons, & origo ſciẽtiæ, ¦ipſe eſt animi centrum, per quẽ facta ſunt omnia, cuius infinita bonitas aſsidue benedicatur

Tu interim (cariſsime Iacobe Antoni) veluti talis medicinæ virtutes, quas deſiderabas, modo habes, ita pauco tẽporis interuallo medicinam ipſam poſsidebis. Vale. Pridie Kalendas Aprilis. 1621.

F I N I S.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

B

C

R *Cælum*

Duratio

Metalla

Quo

F I N I S.

Pagina	vers.	errores	corr.
9	22	par	per
10	12	&	ex
11	27	suum	quintum
12	14	causam	casum
18	4	18. nam	18. auditus aereus
15	27	in	sit
27	2	ipsa	ipsam
30	2	maximum	maximus
31	36	500	100
34	4	significationes	significatores
41	30	intellectionem	intellectionū
42	2	manent	maneat
45	40	nodo	modo
53	26	92	29
56	10	domi	domui
71	21	qualitates	quantitates
76	2	horas	horis
78	32	Augustini	Austrini
84	31	sellæ	stellæ
86	10	ignamorum	ignàuorum
86	37	H●rco	Horto
88	29	ferendo	ferenda
89	29	dicendum	decimum
91	7	adfuit	adfuisti
91	22	caussa	casus
92	36	virtutem	veritatem
93	5	potest	post
96	26	themi	thimi
108	18	exterminū	exterminiū
110	1	præcipere	percipere
111	39	dispositio	disposito
113	38	cassiopę	casiopeę
119	35	statuta	statua
122	20	Medicorum	Mediceorū
127	30	compertam	comperta

Fr. Paulus Nicolaus vidit, nihil contra fidem, nec contra bonos mores inuenit, si placet Illustriss. & Reuerendiss. D. Card. Episc. Maceraten. Imprimatur.

Imprimatur Antonius Franciscus Pellicanus Vicarius Gener.

Magister Fr. Stephanus Maginus pro Reuerendo admodum P. Mag. Pio Ioannino de Bononia Inquisitore Generali Anconæ, & Annexorum. Vidit, & approbat

Imprimatur Vic. S. Offitij Macer.